DIDYMI CHALCENTERI

OPUSCULA.

AUCTORI SUO

RESTITUTA AD CODICES ANTIQUOS RECOGNITA
ANNOTATIONE ILLUSTRATA

EDIDIT

FRANCISCUS RITTER
WESTFALUS.

INSUNT QUAESTIONES EDITORIS ET VETERA TESTIMONIA
DE VITA SCRIPTISQUE
AESCHYLI SOPHOCLIS EURIPIDIS THUCYDIDIS.

COLONIAE
APUD M. DUMONT-SCHAUBERG.
MDCCCXXXXV.

PRAEFATIO.

Ipsa suscepti laboris varia natura ac ratio tulit, ut ante decursum huius libelli modo tramites angusti quidam et obscuri ingrediendi mihi essent, modo spatiosis viis et illustribus incedere possem. Anxium enim quaerentem tenebant loci ad explicandum difficiles, quis conscripserit vitas illas ex funesto variarum litterarum naufragio relictas, quomodo ipsae formam et habitum, quo iam indutae comparent, olim acceperint, quibus ex fontibus auctor earum haurire suo tempore potuerit, quatenus testes diligenter interrogaverit ac iuste exploraverit aut secure et otiose producere acquieverit: plenis velis navigavi, ubi delato mihi in memoriam insignium virorum, quibus ingenio maiores et strenua virium contentione feliciores terra non tulit, de horum rebus et scriptis contigit ut exponerem, ubi vera de his tradita a falsis temere disseminatis ut discernerem, certa ab incertis separarem, operis instituti argumentum praescripsit. Quae dum persequor, animus certe et alacritas nunquam deseruit porro nitentem, cautio et circumspectio ut aequabiliter sequerentur, operam dedi quantum potui, assecutusne sim aequi iudices et prudentes existimatores diiudicabunt. Nisi omnia me

fallunt, hoc effeci, ut si qui posthac de vita scriptisque Thucydidis ac Sophoclis, Aeschyli Euripidisque sive quaerere sive scribere volent, ad fontes primarios faciliorem accessum sibi paratum offendant, ut in regionibus adhuc parum apertis et patentibus paulo liberius et securius versari possint, ut fundamentis solidioribus et locis munitis insistentes ab inanium opinionum commentis facilius sibi caveant, ea promptius amplectentes quae sub certis auctoribus et fidis testibus memoriae prodita sunt aut ex ipsis immortalibus magnorum ingeniorum monumentis iuste colligi scirique possunt. Poetis cur adiunxerim rerum scriptorem adeoque in aditu libri posuerim, quaestiones meas legenti sponte patebit. Libenter admisissem Pindarum et Aristophanem, sed nimiam varietatem lectori molestam accidere nolui. Postremo huius loci est et opportunitatis, ut debita gratia referatur Baehrio Heidelbergensi et Schoenemanno Guelpherbytano, doctarum opum curae suae bene creditarum liberalibus et eruditis dispensatoribus, qui quomodo meis desideriis benigne satisfecerint, suis locis relatum est.

Vitia typographica quae quidem lectorem vel mediocriter eruditum morari possint, nulla deprehendi, nisi forte in horum numero referri volumus *ἅοιδῶν* pro *ἀοιδῶν* p. 58, *Preissmann* pro *Preismann* p. 149 in annotatione, ac notas accentus spiritusque in *οὔσης* p. 78, in *῞Εστι* p. 141, in *ἥμέρας* p. 156 succussu preli post novissimas curas irreverenter elisas. In rebus ipsis quod corrigam nunc nihil in mentem venit, nisi quod corruptam nominis *Λύκης* formam (p. 125) facilius et probabilius in *Λύκος* quam in *Λυγκεὺς* mutari posse admoneam. Nam Lycus cum in rebus fabulosis Atheniensium praecipuas partes agat, in Atticis gentibus antiquis eo nomine aliquem appellari mirum videri nequit.

Scribebam Bonnae sub exitum mensis Octobris a. 1844.

INDEX CAPITUM.

AD VITAS

THUCYDIDIS ET SOPHOCLIS

AESCHYLI ATQUE EURIPIDIS

PROLEGOMENA.

QUAESTIO PRIMA DE VITA THUCYDIDIS.

I.

Vitae Thucydidis, quam nunc legimus, maxima pars eaque praecipua Didymo vindicanda est.

Quae circumfertur apud nos de vita et elocutione Thucydidis commentatio Graeca, hanc per longum tempus ad Marcellinum auctorem falso relatam esse codice Palatino edocemur, quo libro haec inscriptio vera et antiqua continetur: *Μαρκελλίνου ἐκ τῶν εἰς Θουκυδίδην σχολίων περὶ τοῦ βίου αὐτοῦ Θουκυδίδου καὶ τῆς τοῦ λόγου ἰδέας* [1]. Itaque Marcellinus, quem aliquanto ante Suidae [2] aetatem coenobii cuiusdam Byzantini monachum fuisse suspicor, auctor huius vitae haberi non potest: is excerpsit quae in aliquo ad Thucydidem scholiorum prooemio, ut videtur, de vita eius et historia conscripta reppererat. Sed non magis ad alium quendam unumque auctorem totum illud prooemium conferri posse Marcellini excerptis probatur: ex quibus, quomodo compositum et digestum fuerit ipsum prooemium,

1. Palatino codici Parisiensis saeculi XIV in libello Marcelliniano "examussim consentit", ut relatum legimus ad Thucydidem a. 1840 Parisiis editum p. 137 post Scholia.

2. Marcellinum primi nominaverunt et respexerunt Suidas et Tzetza, prior s. v. *μέτριος* et *ἀπέλαυσε* et *ὀργᾶν* et *χαρακτῆρες* et *ἰκρίον*, alter his versibus: *Καὶ σὺ δέ, Μαρκελλῖνε, τὰ ψευδῆ γράφεις. Ἀναξαγόραν Εὐριπίδου διδάσκαλον ὄντα παλαιὸν πῶς λέγεις Θουκυδίδου; κτλ.* nostra memoria de Marcellini commentatione disputavit Poppo in Thucydide a se edito I 1 p. 21, G. H. Grauertus (*ad Marcellini vitam Thucydidis observationes criticae*) in Museo Rhenano a. 1827 t. I p. 169—193, H. Wuttke (*de Thucydide scriptore belli Peloponnesiaci specimen.* Vratisl. 1838): consimilia olim disseruit vir quidam doctus in Diurnis litterariis Hagens. a. 1714 p. 429—433. conf. quae nuper ipse exposui in Museo Rhenano Welckeri et Ritschelii t. III p. 321 sqq.

etiam nunc coniicere licet. Opusculum enim quattuor capitibus constat et ambitu suo et ingenio multum discrepantibus. Quorum et primum et secundum ac tertium in hoc consentiunt, quod in binas partes ita divisa sunt et discreta, ut in priore de vita Thucydidis, in altera de historia eius et stilo disputetur. Quod relicuum, nihil est nisi notatio brevis de historia Thucydidis varie in libros distributa. Sed quod primum caput significavi (§. 1—45), hoc et rerum expositarum ubertate et eruditione non mediocri et insigni lectionis copia adeo antecellit ceteris, ut iure suo his praelatum locoque illustri collocatum videatur. Itaque is, qui prooemii gratia istam commentationem Thucydidis scholiis praemisit, si tam copiose, ut primo capite factum videmus, et fontibus antiquis curiose adhibitis ipse de hoc argumento exposuisset, sane nunquam idem sustinuisset, ut posthac alia suis non solum inferiora sed eisdem nonnullis in rebus repugnantia adiungeret. Immo ex natura excerptorum ad nos traditorum diligentius considerata hoc perspicitur, singula capita non a scholiasta profecta, sed ex totidem auctoribus ab eo collecta et in fronte scholiorum Thucydidis olim posita fuisse.

Iam subit quaerere, primum et praecipuum commentationis caput, quod haud dubie unum aliquem auctorem prodit, cuinam tribuendum videatur.

Ubi attenderimus animum ad auctores, qui per hanc operis partem magno numero recitantur, unum eminere prae ceteris videbimus. *Didymus* is est, grammaticus Alexandrinus, quem ab assiduo commentandi scribendique labore fortiter exantlato τὸν χαλκέντερον antiquitas appellavit. Nam ex pluribus, qui usi sunt eodem nomine, ὁ χαλκέντερος intelligitur, quotiens nullo addito cognomento in grammaticis et litteris Graecorum Didymus memoratur. Is igitur in ea quam dixi scriptione omnium primus laudatur §. 3, dein ut praecipuus auctor celebratur §. 16, tum eius sententia multis verbis exponitur §. 32, ac nomen eius etiam §. 14 certa coniectura restitutum nunc legitur. Laudantur quidem etiam alii nec pauci testes antiqui: Didymus autem ex his omnibus unus ita in medium prodit, *ut ipse alios testes producat.* Lege §. 3 et 4 et 12 et 32. Idem toto testium ag-

mine novissimus incedit. Nam Iulii Caesaris dictatoris et Marci Antonii triumviri temporibus Alexandriae ad grammatica studia acerrime incubuit et multiplici doctrina nobilitatus etiam in principatum Augusti Caesaris perduravit [1]). Antonio hactenus gratificatus est, ut Ciceronis consilia et rationem capessendae rei publicae sex libris exagitaret. Ceteri qui primo capite recensentur ante vixerunt, et horum recentissimus centum amplius annis Didymum aetate antecessit. Unus in hoc numero Antyllus quo tempore vixerit, accurate definiri nequit: Didymo tamen etiam hunc antiquiorem fuisse mox videbimus.

Quibus praemissis, deinceps definiamus quomodo intelligenda sint, quibus Didymi nomen primum adscriptum est (§. 3), *καὶ τούτοις Δίδυμος μαρτυρεῖ, Φερεκύδην ἐν τῇ πρώτῃ τῶν ἱστοριῶν φάσκων οὕτως λέγειν.* Quaeritur utrum *καὶ τούτοις Δίδυμος μαρτυρεῖ* hoc sensu dictum sit, *atque his (a me scriptis) testimonium Didymus edit*, an hoc dicatur, *atque his (a se scriptis) testimonium Didymus edit.* Et obiter quidem intuentibus inesse in Graecis verbis videatur quod priore loco positum est: sed quae praecedunt, praecipue memorabile illud disputationis prooemium (§. 1), ita scripta sunt, ut a scholiasta profecta existimari non possint. Etenim scholiasta varias aliorum de Thucydide narrationes conquirens et omnia aliena dispensans eo arrogantiae nunquam progressurus erat, ut ad similem disputationem de ora-

1. Suidas: *Δίδυμος, Διδύμου ταριχοπώλου, γραμματικὸς Ἀριστάρχειος, Ἀλεξανδρεύς, γεγονὼς ἐπὶ Ἀντωνίου καὶ Κικέρωνος καὶ ἕως Αὐγούστου, χαλκέντερος κληθεὶς διὰ τὴν περὶ τὰ βιβλία ἐπιμονήν. Φασὶ γὰρ αὐτὸν συγγεγραφέναι ὑπὲρ τὰ τρισχίλια καὶ πεντακόσια βιβλία.* Seneca Epist. 88: *quattuor milia librorum Didymus grammaticus scripsit, miser, si tam multa supervacua legisset.* Athenaeus IV p. 139 C: *καλεῖ δὲ τοῦτον (τὸν Δίδυμον) ὁ Δημήτριος ὁ Τροιζήνιος βιβλιολάθαν* (scilicet et multa et celeriter scribenti aliquando accidit ut oblivisceretur vel parum accurate referret quae in libris a se laudatis invenerat) *διὰ τὸ πλῆθος ὧν ἐκδέδωκε συγγραμμάτων· ἔστι γὰρ τρισχίλια πρὸς τοῖς πεντακοσίοις.* Ammianus Marcellinus XXII 16 16: *Unde* (Alexandria) *Aristarchus — aliique plurimi scriptores multorum in litteris nobilium studiorum. inter quos Chalcenterus eminuit Didymus, multiplicis scientiae scriptis memorabilis. qui in illis sex libris, ubi nonnunquam imperfecte Tullium reprehendit, sillographos imitatus, scriptores maledicos, iudicio doctarum aurium incusatur ut immania frementem leonem putredulis vocibus [canus] catulus longius circumlatrans.* huic Didymi scripto respondit Suetonius Tranquillus: Suidas s. v. *Τράγκυλλος . . . περὶ τῆς Κικέρωνος πολιτείας ά. ἀντιλέγει δὲ τῷ Διδύμῳ.*

tionibus Demosthenis a se ante compositam et luculente explicatam provocaret. Immo in his omnia non exscribentem aliena sed suis opibus utentem arguunt. Hinc colligitur a Didymo esse non modo quae inde a §. 3 leguntur, sed etiam quae praecedunt eidem auctori deberi. Itaque aut alter ille significatus verborum *καὶ τούτοις Δίδυμος μαρτυρεῖ* asciscendus erit, aut scholiasta verba *a se transcripta* tanquam *sua* temere et falso designavit. Utrumvis acceperis, res eodem redibit. Luculento igitur testimonio constat Didymum eum auctorem esse, quem et scholiasta Thucydidis antiquior et Marcellinus recentior per primum caput huius libelli secuti sunt. Eiusdem rei argumentum verba (§. 16) *αὕτη γὰρ ἡ γραφή, ὡς καὶ Διδύμῳ δοκεῖ, ἡμάρτηται*, quae scholiasta interposuit, recte intellecta praebebunt. Nimirum haec non id sibi volunt, Didymo falsam videri vulgatam nominis *Olori* formam, sed hanc ipsam Didymo placuisse, ut *ὡς δοκεῖ* non ex verbo *ἡμάρτηται* suspensum sit, sed ad praegressa referatur: *denn diese Schreibung, wie sie auch dem Didymos gefällt, ist falsch.* Agnoscit igitur scholiasta vulgo scribi *Ὄλορον*, eamque scripturam Didymo quoque probatam esse. Hoc vero unde edoctus est? Scilicet in fragmento a sese transcripto statim ab initio §. 2 et mox §. 11 tribus locis non suum *Ὄρολον*, sed formam vulgarem *Ὄλορον* expressam invenit. Hoc autem fragmentum cum Didymi esse sciret, iure scribere potuit *ὡς καὶ Διδύμῳ δοκεῖ*, h. e. *quomodo (Ὄλορον) scribi etiam Didymo placet.* Cui interpretationi commendatio hinc accedit, quod Didymus etiam in scholiis Pindaricis (Nem. II 19) Thucydidis patrem non *Ὄρολον*, sed more solito *Ὄλορον* vocavit. Itaque altero testimonio Didymum auctorem iam tenemus. Sed quemadmodum scholiasta Didymi nomen in principio commentationis ponere neglexit, ita etiam ceteris locis hunc vix commemoraturus erat, si totam et integram auctoris sui disputationem nobiscum communicasset. Nunc vero quotiens nonnulla ex Didymi narratione satis verbosa omisit et sententiam eius quam verba referre maluit, totiens res et occasio tulit, ut nomen illius memoraret.

Ceterum etiam alia via Didymum primi capitis auctorem indagare licet. Nam ex verbis (§. 15) *παρέσχε δ' ἡμῖν τὴν*

ἄλλως αὐτὸς ζήτησιν, μηδεμίαν μνήμην περὶ τοῦ γένους πεποιημένος, id nobis compertum est, unum esse virum doctum qui longam istam de avis atavisque Thucydidis quaestionem moverit ac solvere tentaverit: hunc vero Didymum esse in principio §. 3 admoniti sumus. A Didymo igitur sunt quae a §. 3 usque ad §. 15 declarantur [1]. Sed quae restant de vita Thucydidis (§. 16—34), haec quoque eiusdem auctoris esse partim ex eadem scripti natura patet, partim ex §. 32 colligitur. Postremo iudicium de Thucydidis historia eiusque stilo (§. 35—44) ab eodem profectum esse qui de vita exposuit, hoc vel ex illa admonitione §. 1 consequitur: *ἀναγκαῖον δὲ πρῶτον εἰπεῖν τοῦ ἀνδρὸς καὶ τὸ γένος καὶ τὸν βίον· πρὸ γὰρ τῶν λόγων ταῦτα ἐξεταστέον τοῖς φρονοῦσι καλῶς.* Itaque totum scriptum (§. 1—44) Didymi est, hominis laboriosi et doctissimi sua aetate litteratoris. Iam insignis illa *πολυμαθία* per hoc opusculum conspicua haud mira nobis videbitur, iam apparet, cur Didymus unus aliis rursus auctoribus utatur et ceteri demum tanquam veri primique testes citentur, iam narrandi genus parum simplex et dilucidum, scribendi ratio flosculis distincta et quaesitis coloribus ornata mirationem non faciet. Nimirum inferioris temporis atque ordinis est grammaticus, qui Aristarchum non bene imitando non tam virtutes magni praeceptoris quam peculiaria quaedam ac propria rettulisse videatur. Quaestionum enim et excitandarum et solvendarum cupidus his deliciis per libelli sui decursum usque ad satietatem abutitur. Idem gaudet sententiarum luminibus, locutiones insolitas et translationes audaces aucupatur, veluti §. 1: *τῶν Δημοσθένους μύστας γεγενημένους θείων λόγων τε καὶ ἀγώνων*, et mox: *νοημάτων μεστοὺς γενομένους καὶ ἱκανῶς ἐμφορηθέντας.* Ibidem: *τῶν Θουκυδίδου τελετῶν ἐντὸς καταστῆναι.* §. 2: *Ὀλόρου μὲν προῆλθε πατρός.* Paulo post: *οὕτως αὐχεῖ τὸ γένος ἄνωθεν.* §. 5: *τί κακὸν οὐ*

1. Hanc suam expositionem ipse Didymus respexit, cum commentarium in Pindari Nem. II 19 scripsit. conf. schol. ad h. l.: *Δίδυμος δέ φησι, ὅτι ἴσως ἄμεινον λέγειν, ὅτι εἰς Αἴαντα ἀνέφερε (Τιμόδημος) τὸ γένος, ὥσπερ καὶ Μιλτιάδης καὶ Κίμων καὶ Ἀλκιβιάδης καὶ Θουκυδίδης ὁ συγγραφεὺς ὁ Ὀλόρου.*

πάσχοντες. §. 21: *ἐκ τῆς τῶν πολλῶν συμφωνίας θηρώμενος τὴν τῆς ἀληθείας κατάληψιν.* §. 23: *ἐστρατήγησε δ' ἀρχέκακον ἀρχὴν παραλαβών.* Dein: *τὸ πρῶτον ἀτύχημα εἰς ἁμάρτημα μεταλαβόντες.* §. 35: *ἵνα μὴ πᾶσιν εἴη βατός.* Mox: *ἀνάγραπτον εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον κέκτηται τὴν τιμήν, οὐ κινδυνεύουσαν ἐξαλειφθῆναι τοῖς ἐπικρίνουσιν.* §. 38: *τῶν δὲ πρὸ αὐτοῦ συγγραφέων τε καὶ ἱστορικῶν ἀψύχους ὥσπερ εἰσαγόντων τὰς συγγραφάς.* §. 43: *τὴν οἰκείαν ἐκφαίνουσα φύσιν.* Ibidem: *ὁ χαρακτὴρ μόνον οὐχὶ βοᾷ.* §. 44: *δι' ἐκτύπων γεγραμμένη, καὶ πολλῶν πλήρης ἐν κεφαλαίῳ πραγμάτων καλλωπισθῆναι καὶ λαβεῖν ἔκτασιν δυναμένων.* Ostentator doctrinae benignum testium numerum producit, Aeschyli verba suis admiscet (§. 5) et suam locutionem (§. 21) ad similem Homeri accommodat [1]. Etenim hic noster in Homeri carminibus et in fabulis Aeschyli diu multumque versatus est. Arrogantia et aliorum contemptu sese extollit §. 12 et 32–33. Haec omnia parum conveniunt ignobili novitioque scriptori, sed virum ingenti doctrinae mole quasi obrutum et continuo legendi scribendique labore morosiorem factum arguunt.

Quod modo demonstrare conatus sum, id quo minus a viris doctis ante intelligeretur, duo videntur obstitisse impedimenta. Primum enim scholiasta ille commentationem Didymi non integram exhibuit, sed nonnullis in locis eius verba in brevius contraxit, veluti §. 3 et 14 et 31 et 32. Post haec in principio §. 33 Didymus sua ipsius persona verba faciens subito inducitur, nulla admonitione ab imprudenti scholiasta adiecta, *ἐγὼ δὲ Ζώπυρον ληρεῖν νομίζω κτλ.* Ab hoc loco Didymi disputatio non amplius a compilatore castigata sed plene usque ad finem relata est. Alterum quod agnoscendae huius rei veritati offecit, nonnullae sunt observationes a scholiorum auctore conscriptae locisque parum aptis insertae. Huc pertinent §§. 16—17, 28—29, 40, 45, de quibus in annotationibus dictum est.

Postquam Didymum esse cognovimus, unde maxima et po-

1. Idem hoc fecit scholiasta Sophoclis (Didymus) ad Oed. Tyr. 777 et 1191, Trachin. 931, Electr. 1437, etiam vitae Sophocliae narrator (Didymus) §. 17.

tissima pars libelli sumpta est, deinceps quaeritur, ex quo opere Didymi haec ascita sint. In immensa eius librorum copia etiam commentarios sive *ὑπομνήματα* in Demosthenis et Isaei et Hyperidis orationes fuisse accepimus [1]. Quo cum accedat quod auctor commentationis Thucydidiae suum de Demosthene scriptum ipse laudavit (§. 1), animus sane inclinat de commentariis Didymi tam Thucydidiis quam Demostheniis cogitare. Sed Didymi commentarios in Thucydidem nusquam relatos legimus; etiam in scholiis Thucydidis superstitibus nullum Didymi vestigium conspicitur, dum aliorum eius interpretum mentio iniicitur, ut *Antylli* III 95, IV 19 et 28, *Asclepiadis* I 56, *Phoebammonis* I 53. Si commentarios in historiam Thucydidis scribere Didymus suscepisset et hanc disputationem tanquam prooemium praemisisset, eius exordium aliter conformatum dedisset. Ipsum initium ita se habet, ut ab una disputandi materia ad alteram et similem eiusdem operis transitus paretur, non ut novi principium inchoetur. Anquirendum igitur erit, fueritne scriptum Didymi, in cuius contextu primum de Demosthenis vita et dicendi genere, tum de rebus et historia Thucydidis apte explicari posset. Quaerentibus nobis sese offerunt eius *Συμποσιακὰ* multis libris comprehensa. Nomen operis aut inde ductum est, quod disputatio inter pocula a pluribus interlocutoribus instituta ferebatur, aut hinc impositum, quod grammaticus lectores eruditionis suae copiis et illecebris perinde vesci voluit, atque convivae apud dites lautosque homines cibo potuque pasci solent. Si prior adornandi operis ratio obtinuit, Didymi scriptum simili modo compositum erat ac Plutarchi Quaestiones Symposiacae, Athenaei Dipnosophistarum colloquia, Macrobii Saturnalia. Hoc certum est, eo nomine designari libros, quibus varia et mixta tractentur, quales multo ante composuerat scriptor Didymo bene cognitus, Aristoxenus Tarentinus, indito nomine *σύμμικτα συμποτικά*, h. e. de variis rebus inter pocula disputationes (Athen. XIV p. 632 A).

1. Harpocratio s. v. *γαμηλία* et *ὀξυθύμια*. Athenaeus XI p. 486 C: *μνημονεύει τοῦ λύχνωνος Δημοσθένης ἐν τῷ . . . πρὸς Τιμόθεον* (p. 1193 11) *ὑπὲρ χρέως λέγων οὕτως "Φιάλας λυκιουργεῖς δύο." ὅπερ ἐξηγούμενος Δίδυμος ὁ γραμματικὸς τὰς ὑπὸ Λυκίου φησὶ κατεσκευασμένας.*

De Didymi *Symposiacis* quanquam pauca sunt quae accepimus, hoc tamen coniicere licet, de hominibus artium et litterarum studio illustribus ibi expositum esse. Quod quo magis perspicuum fiat, adscribam quae inde memorantur. Clemens Alexandrinus Strom. IV p. 523 ed. Sylburg.: *παραπέμπομαι τοίνυν τὰς ἄλλας, διὰ τὸ μῆκος τοῦ λόγου μήτε τὰς ποητρίας καταλέγων Κόρινναν καὶ Τελέσιλλαν Μυῖάν τε καὶ Σαπφώ, ἢ τὰς ζωγράφους, καθάπερ Εἰρήνην τὴν Κρατίνου θυγατέρα καὶ Ἀναξάνδραν τὴν Νεάλκους, ὥς φησι Δίδυμος ἐν Συμποσιακοῖς.* Diogenes Laert. V §. 76, ubi de moribus Demetrii Phalerei: *Δίδυμος δὲ ἐν Συμποσιακοῖς καὶ Χαριτοβλέφαρον καὶ Λαμπετὼ καλεῖσθαι αὐτόν φησι ἀπό τινος ἑταίρας* [1]. Stephanus Byz.: *Ἤτεια, δῆμος Λακωνικῆς (καὶ Κρήτης πόλις)· ὅθεν ἦν Μύσων, εἷς τὸν ἑπτὰ σοφῶν, χρηματίζων Ἤτειος . . . Δίδυμος δὲ Συμποσιακῶν δεκάτῳ Ἤτιον αὐτὸν καλεῖ.* Etymolog. magn.: *Σκόλια, τὰ συμποτικὰ ᾄσματα. Δίδυμός φησι διαφόρους ἐτυμολογίας ἐν τῷ τρίτῳ τῶν Συμποσιακῶν.* Ex eodem opere cum alia nonnulla quae Didymi nomine referuntur delecta existimes, tum ea quae doctus ille litterator de *Theognidis* origine et patria proposuit. De his ad verba Platonis (Leg. I p. 630 A) *ποιητὴν δὲ καὶ ἡμεῖς μάρτυρα ἔχομεν, Θέογνιν, πολιτὴν τῶν ἐν Σικελίᾳ Μεγαρέων* scholiasta eius haec habet: *περὶ Θεόγνιδος καὶ τῆς κατ' αὐτὸν ταύτης ἱστορίας ἀμφιβολία πολλὴ ἐγένετο τοῖς παλαιοῖς. καὶ οἱ μέν φασιν αὐτὸν ἐκ Μεγάρων γεγενῆσθαι τῆς Ἀττικῆς· οὕτως ὁ Δίδυμος, ἐπιφυόμενος τῷ Πλάτωνι ὡς παριστοροῦντι.*

In his libris Demosthenes et Thucydides, ut qui gravi dicendi genere usi essent, iungi poterant, ac nihil obstitit, quo minus post Demosthenem Thucydides continuo subsequeretur. Iam consideres velim huius opusculi principium, memorabile quidem, sed quod disputationi convivali satis aptum videatur: "Post-

1 Athenaeus XIII p. 593 F: *Δημήτριος δὲ ὁ Φαληρεύς, Λαμπιτοῦς τῆς Σαμίας ἑταίρας ἐρασθείς, ἡδέως δι' αὐτὴν καὶ Λαμπιτὼ προσηγορεύετο, ὥς φησι Δίυλλος, ἐκαλεῖτο δὲ καὶ Χαριτοβλέφαρος.* in nomine amicae referendo paulum differunt antiquior auctor Athenaei (Diyllus rerum scriptor) et recentior Diogenis testis. Didymo Diogenique consentit Hesychius Milesius p. 16 ed. Orell.

quam ingressi sumus mysteria divinarum orationum certaminumque Demosthenis, *et suasoriae dictionis et contentiosae sententiis impleti ac satis farti*, tempus est ut etiam arcanis Thucydidis initiemur" [1]. Hic loquendi modus bene convenit sive disputationi inter compotandum institutae sive eiusmodi narrationi quae cibi potusque locum impletura esset. Inde etiam illud apparebit, quod haec commentatio non sine loquacitate ac multis verbis explicatur: quippe in sermone convivali non modo severae doctrinae specimina sed etiam nonnulla ad delectationem audientium proferri posse videbantur.

II.

De testibus Didymi.

Originem Thucydidis et facta moresque traditurus duplex auctorum sive testium genus secutus est Didymus, primum eos qui Thucydide natu maiores nullam mentionem eius iniecerant, sed tamen de claris viris scripserant unde Olorum patrem eius ortum esse ipse opinabatur. In hoc numero fuere *Pherecydes*, *Hellanicus*, *Herodotus*. Pherecydes Lerius sive Atheniensis, rerum gestarum scriptor fabularumque narrator, anno fere 480 ante Christum cognitus [2], cum in *πρώτῃ τῶν ἱστοριῶν* eius Miltiadis, abs quo colonia Athenis in Chersonesum Thraciam deducta est, maiores usque ad Aiacem persecutus esset, Didymus ad illustrem Thucydidis originem approbandam Pherecydis verba in

1. Non solum de lectoribus a se instituendis Didymum haec dixisse, sed *prima persona* loqui ac semet ipsum complecti ex verbis paulo post succedentibus consequitur, *ἀναγκαῖον δὲ πρῶτον εἰπεῖν* (ἡμᾶς) *τοῦ ἀνδρὸς καὶ τὸ γένος καὶ τὸν βίον.* conf. §. 15: *παρέσχε δ' ἡμῖν κτλ.* §. 33: *ἐγὼ δὲ . . . νομίζω.*

2. Pherecydis fragmenta, collegit cet. F. G. Sturz. Lips. 1824

rem suam (§. 3) vertere voluit [1]). Eandem ob rem Didymus historiarum Hellanici (natus est a. 496 ante Chr.) librum inspexit illum, qui Ἀσωπίδος nomine inscriptus erat [2]). Ipsa *Asopis* pars fuit, ut videtur, τῶν Βοιωτιακῶν. Vide Sturzii librum infra nominatum p. 52. Praeter ceteros autem Herodoti opibus in sua ζητήσει usus est (§. 5—13), quamvis eum, cui fere omnia sua debet, satis fastidiose commemoraverit (§. 12): εἴ γε μὴ Ἡρόδοτος ψεύδεται. Ne taedium faciam legentibus afferendo locos plurimos, ubi Herodotus testis citatur in scholiis veterum scriptorum probabiliter a Didymo repetendis, hoc tamen memorare in rem fuerit, a Sophoclis scholiasta (Didymo) ad Trachinias v. 1 simili verborum copia narratiunculam ex Herodoto (I 30—33), ipso haud nominato, referri, tum vitae Aeschyliae auctorem, quem Didymum esse a vero non abhorret, res notas ex Herodoto non sine molesta sedulitate narrare.

His testibus duo adiungendi sunt, qui quidem post Thucydidem vixerunt, a Didymo tamen non in tradenda Thucydidis vita sed ad contestandum factum quoddam ab ipso narratum adhibiti sunt (§. 32), *Demetrium* dico et *Philochorum*. Philochorus Olympiadis 118 anno 3 sive 306 ante Chr. ἱεροσκόπου munere Athenis functus cum alia opera tum Ἀτθίδα magna diligentia conscriptam et septendecim libris compositam reliquit [3]). Hanc ut satis notam nomine suo laudare Didymus neglexit. Alter est

1. Pherecydem libenter testem laudavit Didymus, id quod Pindari scholia et Euripidis et Aristophanis et Apollonii Rhodii, in quibus et Pherecydes laudatur et quidquid doctioris et reconditioris notae est a Didymo auctoribusque ab ipso citatis repetitur, ostendunt: sed nunc in Sophoclis scholiis subsistam, quoniam de his prae ceteris constat, docta et exquisita quae contineant, ea ab scholiasta codicis Laurentiani ex Didymo transcripta esse. atqui in illis eruditae annotationes ad Oedipum Tyr. 775, Colon. 442, Trachin. 354, Electr. 504 commonstrare possunt Didymum in historiis Pherecydis satis versatum fuisse.

2. Conf. Hellanici Lesbii fragmenta. collegit cet. F. G Sturz. ed. alt. Lips. 1826. Hellanici historias Didymo bene cognitas fuisse frequens eius mentio in scholiis modo enumeratis facta probat.

3. Philochori Atheniensis librorum fragmenta a C. G. Lenzio collecta digessit et . . . edidit C. G. Sibelis accedunt Androtionis Ἀτθίδος reliquiae. Lips. 1811. A. Boeckhii commentatio de Ἀτθίδος Philochori proposito et operis descriptione in Dissert. historico-philolog. Academ. reg. Berolin. a. 1832 p. 1—30.

Demetrius Phalereus, qui decem per annos Athenis praefuit (Olymp. 115 4 — 118 2 sive ante Chr. 317—307), tum patria pulsus Thebas, mox ad Ptolemaeum Lagi filium se contulit (Olymp. 121 1 sive 296 ante Chr.) ibique multos et varios libros conscripsit. Didymus breviter ἐν τοῖς ἄρχουσι posuit, sed verum operis nomen fuit ἀρχόντων ἀναγραφή. Diogen. Laert. II §. 7: ἤρξατο δὲ φιλοσοφεῖν (Ἀναξαγόρας) Ἀθήνησιν ἐπὶ Καλλίου ἐτῶν εἴκοσι ὤν, ὥς φησιν Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς ἐν τῇ τῶν ἀρχόντων ἀναγραφῇ. In operum Demetrii indice apud Diogenem (V §. 80—82) ἀναγραφή non comparet, sed quod ibi προοίμιον ἱστορικὸν consignatur, ἀναγραφὴν esse existimo: archontum enim Atheniensium descriptio instrumentum chronologicum et quasi historiae Graecae prooemium fuit. Philochorus igitur et Demetrius, si Didymus eos accurate inspexit neque ζητήσεως gratia falsum quoddam inde rettulit, narraverant, post cladem Siculam exsulibus Atheniensibus in patriam redeundi potestatem a civibus suis factam esse. Aliqua tamen suspicio erroris a Didymo commissi remanet, propterea quod Thucydides, diligentissimus rerum enarrator, nihil de hoc populiscito memoriae prodidit. Hoc certe tenendum est, ex utroque teste ab ipso Didymo nihil approbari nisi veniam reditus exsulibus Atheniensium tunc datam esse. Etiam Thucydidem in his revertisse Athenas, id neque Demetrius neque Philochorus dixit, sed Didymus ratiocinando collegit, ut infra videbimus.

Altero testium genere continentur qui Thucydidis mentionem fecerunt, sive vitam eius tradentes sive alia occasione in memoriam eiusdem delati, *Timaeus*, *Zopyrus*, *Hermippus*, *Antyllus*. Horum natu maximus Timaeus Tauromenita, illustris rerum Sicularum et Italicarum scriptor, qui ab Agathocle tyranno Syracusarum [1]) pulsus annis quinquaginta Athenis vixit historiamque composuit circa Olymp. 128 sive ante Chr. 268, a Didymo duobus locis (§. 25 et 33) vere reprehenditur, quod Thucydidem in Italia exsulem fuisse ibique mortuum et sepultum esse tradi-

1 Agathoclis imperium inchoatum est Olymp. 115 4 sive 317 ante Chr., finitum Olymp. 122 4 sive 289 a. Chr. conf. Fr Goeller *de Situ et Orig. Syracus.* p. 177 sqq., Westermannus ad G. I. Vossii *de Historicis Gr.* p. 120 annot. 26.

derit. Idem tanquam in laudando Timoleonte nimius §. 27 notatur.

Zopyrus Thucydidem in Thracia vitae finem invenisse narravit, eamque ob rem a Didymo vere quidem sed nimis superbe §. 33 vituperatus est: *ἐγὼ δὲ Ζώπυρον ληρεῖν νομίζω λέγοντα τοῦτον ἐν Θρᾴκῃ τετελευτηκέναι.* Sed aperte cum his pugnant quae paulo ante (§. 32) narrantur, si vulgatam distinctionem verborum sequimur: *Δίδυμος δὲ* (*Θουκυδίδην λέγει ἀποθανεῖν*) *ἐν Ἀθήναις ἀπὸ τῆς φυγῆς ἐλθόντα βιαίῳ θανάτῳ· τοῦτο δέ φησι Ζώπυρον ἱστορεῖν.* Zopyrus igitur tradidit in Thracia perisse Thucydidem eundemque Athenis caesum esse. Quae pravitas ut amoveatur, distingui oportet, ut ego feci, *Δίδυμος δ' ἐν Ἀθήναις, ἀπὸ τῆς φυγῆς ἐλθόντα, βιαίῳ θανάτῳ* (*τοῦτο δέ φησι Ζώπυρον ἱστορεῖν*). Scilicet hoc unum a Zopyro contestatum Didymus accepit, *violenta morte Thucydidem occidisse*, ceteroqui digressus in alia omnia. Hic Zopyrus, patria Colophonius, imperante Ptolemaeo Philadelpho vixit, Timoni aequalis et Menippo cynico, prior autem Hermippo peripateticorum alumno [1]. Nam hunc, qui est antiquissimus eorum qui Zopyri nomine in hominibus litteratis cogniti sunt (cf. Vossius de Histor Gr. p. 511 ed. Westermann.), a Didymo significatum esse inde colligo, quod Hermippus aetate non multum inferior eam opinionem Zopyri, qua Thucydides in Thracibus perisse ferebatur, veram esse crediderat: lege §. 33 *κἂν ἀληθεύειν νομίζῃ Ἕρμιππος αὐτόν.* Nam *Hermippi* nomen pro vulgato *Cratippi* reponendum esse meo iure contendo. Quippe Cratippus ipsi Thucydidi aetate suppar historia sua persecutus est ea, quae Thucydides quo minus pertexeret, morte prohibitus erat, isque a Plutarcho medius inter Thucydidem et Xenophontem ponitur, a Dionysio Halicarnassensi

1. Diogenes Laert. VI §. 100 in vita Menippi: *ἔνιοι δὲ τὰ βιβλία οὐκ αὐτοῦ εἶναι, ἀλλὰ Διονυσίου καὶ Ζωπύρου τῶν Κολοφωνίων, οἳ τοῦ παίζειν ἕνεκα συγγράφοντες ἐδίδοσαν αὐτῷ ὡς εὖ δυναμένῳ διαθέσθαι.* Hermippus de Menippo Zopyri aequali ipse scripsit: vid. ibid. §. 99: *φησὶ δ' Ἕρμιππος ἡμεροδανειστὴν αὐτὸν γεγονέναι καὶ καλεῖσθαι.* cf. scholiasta Aristophan. ad Aves 1297, ubi *Διονύσιος δὲ καὶ Ζώπυρος* pro *Διονύσιος δὲ ὁ Ζώπυρος* cum Fabricio Bibl. Gr. VI p. 364 ed. Harles. legendum est, et Stephan. Byz. s. v. *Ἀφροδισίας.*

aequalis Thucydidis appellatur [1]. Centum igitur annis qui ante Zopyrum fuit, idem sententiam ab hoc prolatam veram existimasse dicitur. Quo ineptius cum nihil esse possit, vitium inveteratum haud cunctanter sustuli. Quo libro Zopyrus tradiderit Thucydidem in Thracia caesum esse, nescimus.

A Zopyro quod excogitatum erat, Thucydidem exsulem apud Thraces perisse, id Hermippus pro vero habuit, ipse autem aliam famam et invenit et propagavit, de qua Didymus §. 18: *ὁ δὲ Ἕρμιππος καὶ ἀπὸ τῶν Πεισιστρατιδῶν αὐτὸν λέγει τῶν τυράννων ἕλκειν τὸ γένος.* Hermippus peripateticus est satis nobilis, qui magno suo *βίων* volumine et philosophorum et oratorum vitas exposuit. In oratoribus de Thucydide videtur egisse et hunc admisisse ob orationes historiae suae intextas. Obiit imperante Ptolemaeo Epiphane circa Olympiadem 148, natus Olymp. 129 vel 130 [2].

Unus in Didymi testibus restat, cuius aetas accuratius definiri nequit. Antyllus est, §. 22 et 36 et in tertio opusculi Marcelliniani capite §. 55 laudatus. Rhetorem fuisse Suidas dicit, sed nihil addit amplius, ac Suidas sua ex hac ipsa vita Thucydidis videtur hausisse. Ex iis quae tertio capite ex Antyllo referuntur, Athenis eum fuisse coniicias. Donec certior temporis quo vixerit definitio continget, inter Hermippi saeculum et Didymum ponendus videtur. Quod Antyllus de Thucydide in suspicionem impietatis *paulatim* adducto narravit (§. 22), fabula est, nihil amplius. Vera autem et subtilis altera Antylli observatio est (§. 36), cum dicit Thucydidem moderate ascivisse *τὰς Γοργίου τοῦ Λεοντίνου παρισώσεις καὶ τὰς ἀντιθέσεις τῶν ὀνομάτων, . . . καὶ μέντοι καὶ Προδίκου τοῦ Κείου τὴν ἐπὶ τοῖς ὀνόμασιν ἀκριβολογίαν.*

Praeter hos auctores is qui scholia congessit in suis additamentis testes laudavit *Praxiphanem*, *Polemonem*, *Androtionem*. Horum primus peripateticorum sectam secutus et doctrinam gram-

1. Plutarchus: *bellone an pace clariores Athenienses* c. 1. Dionysii *de Thucydide Iudic.* c. 16.

2. *Hermippi Smyrnaei fragmenta collecta disposita illustrata Dissertatio quam scripsit Adalb. Lozynski.* Bonnae 1831.

maticam amplexus est, Theophrasti auditor circa Olymp. 114 (ante Chr. 322), dein ipse praeceptor et aliorum et Epicuri philosophi anno fere trecentesimo sexto ante Chr. [1]). Praxiphanis *de poetis* disputationem Diogenes III §. 8 his verbis descripsit: *ὁ δ' οὖν φιλόσοφος (Πλάτων) καὶ Ἰσοκράτει φίλος ἦν. καὶ αὐτῶν Πραξιφάνης συνέγραψε διατριβήν τινα περὶ ποιητῶν γενομένην ἐν ἀγρῷ παρὰ Πλάτωνι, ἐπιξενωθέντος τοῦ Ἰσοκράτους.* Ipsum hunc de poetis sermonem scholiasta noster, ubi de poeta Thucydide quaedam rettulit (§. 29), haud dubie respexit, sed animo ad Thucydidem rerum scriptorem obverso Praxiphanis librum alioqui non cognitum *περὶ ἱστορίας* nominavit. Itaque in nostro operis contextu nihil certe mutandum, sed suum vitium scholiastae parum accurate scribenti sive relinquendum sive servandum est.

Secundus testis interpolatoris Polemo est, cui cognomentum *περιηγητής* et *στηλοκόπας* fuit, Aristophanis grammatici aequalis, h. e. circa a. 200 ante Chr. Conf. Preller *Polemonis fragm.* p. 8. Quod scriptum eius *περὶ ἀκροπόλεως* §. 17 et 28 nominatur, idem Athenaeus designavit XI p. 472 B *ἐν τῇ πρώτῃ περὶ τῆς Ἀθήνησιν ἀκροπόλεως*, p. 486 D *ἐν πρώτῳ περὶ ἀκροπόλεως*, XIII p. 587 C *ἐν τοῖς περὶ ἀκροπόλεως*. Strabo IX 1 16: *Πολέμων δὲ ὁ περιηγητὴς τέτταρα βιβλία συνέγραψε περὶ τῶν ἀναθημάτων τῶν ἐν τῇ ἀκροπόλει.* Polemo igitur ubi de monumentis et titulis donisque sacris arcis Atheniensium exposuit, data occasione etiam Thucydidis columnam sepulcralem memoravit (§. 17), et filium ei Timotheum nomine fuisse narravit [2]). Idem eodem opere alium Thucydidem patre Menone generatum recensuit (§. 28).

Tertius auctor a scholiasta productus *Androtio* est, *Ἀτθίδος* scriptor, cuius aetas quanquam accurate definiri non potest, tamen post Timaeum ad historiam componendam eum accessisse

1. Conf. L. Prelleri *de Praxiphane inter antiquissimos grammaticos nobili disputatio.* Dorpati 1842. idem de *Polemone* mox memorando doctam commentationem evulgavit eiusque fragmenta collegit. Lipsiae 1838.

2. Perinde *Heliodorus* in sua *περιηγήσει τῆς ἀκροπόλεως* de filio Cimonis Atheniensis et de origine Aristophanis comici oblata occasione disseruit: Harpocrat. s. v. *Θετταλός*. Athen. VI p. 229 E.

ex loco infra scripto [1]) consequitur. Androtio in Atthide sua mentionem poetae Thucydidis fecerat (§. 28) eique patrem Aristonem fuisse tradiderat.

III.

Aestimatio libelli a Didymo conscripti.

Auctoribus supra nominatis instructus, etiam iis quae Thucydides in nonnullis historiae suae locis de se rettulit, inspectis magis quam prudenter sobrieque consideratis, ad vitam Thucydidis enarrandam Didymus aggressus est. Nimium autem festinanti et numerum librorum potius spectanti quam eorum virtuti diligentem curam adhibenti hoc propositum minus bene processit. Neque tamen eo nomine vituperandus est, quod nimis pauca de Thucydide prodidit, sed hoc vitio premitur, quod aut aperte falsa aut admodum incerta veris paucis admiscuit et docta caligine circumdedit, quod coniecturas sive suas sive aliorum tanquam res in facto positas enarravit. Qui ante ipsum de Thucydidis rebus scribere conati sunt, Timaeus, Zopyrus, Hermippus, Antyllus, item rerum fidem aliquotiens egressi erant et falsa incertaque narraverant in omnibus, quae praeter pauca ab ipso Thucydide de se tradita protulerant. Didymus his cumulum adiecit, inani quaestionum captandarum et solvendarum studio ad falsa et absurda gravi vultu promenda abreptus. Haec crimina singulatim percensebo et probare conabor.

1. Plutarchus de Exsilio c 14: *καὶ γὰρ τοῖς παλαιοῖς, ὡς ἔοικεν, αἱ Μοῦσαι τὰ κάλλιστα τῶν συνταγμάτων καὶ δοκιμώτατα, φυγὴν λαβοῦσαι συνεργόν, ἐπετέλεσαν. Θουκυδίδης Ἀθηναῖος συνέγραψε τὸν πόλεμον τῶν Πελοποννησίων καὶ Ἀθηναίων ἐν Θρᾴκῃ περὶ τὴν Σκαπτὴν ὕλην, Ξενοφῶν ἐν Σκιλλοῦντι τῆς Ἠλείας, Φίλιστος ἐν Ἠπείρῳ, Τίμαιος ὁ Ταυρομενείτης ἐν Ἀθήναις, Ἀνδροτίων Ἀθηναῖος ἐν Μεγάροις.* quemadmodum successio temporis in Thucydide, Xenophonte, Philisto, Timaeo satis accurate observata est, ita Androtionem his omnibus posteriorem exstitisse patet.

Thucydides cum pluribus historiae locis *Atheniensem* se fuisse ipse dixit, tum patris *Olori* nomen bis suo adiecit (I 1, IV 104). Inde Didymus haec elicuit §. 2: *Θουκυδίδης τοίνυν ὁ συγγραφεὺς Ὀλόρου μὲν προῆλθε πατρός, τὴν ἐπωνυμίαν ἔχοντος ἀπὸ Ὀλόρου τοῦ Θρᾳκῶν βασιλέως, καὶ μητρὸς Ἡγησιπύλης, ἀπόγονος δὲ τῶν εὐδοκιμωτάτων στρατηγῶν, λέγω δὲ τῶν περὶ Μιλτιάδην καὶ Κίμωνα. ᾠκείωτο δὲ ἐκ παλαιοῦ τῷ γένει πρὸς Μιλτιάδην τὸν στρατηγόν, τῷ δὲ Μιλτιάδῃ πρὸς Αἰακὸν τὸν Διός.* Haec de Thucydide genti Miltiadis cognato longae disputationis ambagibus studet probare (§. 3—15), in subsidium accitis Pherecyde, Hellanico, Herodoto. Omnes autem nullam Thucydidis mentionem fecerunt, sed de Miltiade qui coloniam in Chersonesum Thraciam duxit, et eo qui Persas ad Marathona devicit, eorumque origine exposuerunt. Ipse igitur post quaestionem operose institutam aegreque ad finem perductam significare debuit rem vel sic in opinione verti (§. 15): *δοκεῖ οὖν τισὶν υἱδοῦς εἶναι τοῦ Μιλτιάδου ἢ θυγατριδοῦς* [1]. *παρέσχε δ' ἡμῖν τὴν ἄλλως ζήτησιν, μηδεμίαν μνήμην περὶ τοῦ γένους πεποιημένος.* Nimirum si certis testibus ea res ostendi potuisset, nihil opus fuit huius *ζητήσεως* artificio, quo Didymus rem plane incertam expiscari se posse frustra speravit. Sed quomodo tandem ad Miltiadem Cimonemque tanquam gentiles Thucydidis delatus est? Primum patris Thucydidis nomine huc devenit: Olorum enim Thraciae regem, qui alteri Miltiadi filiam Hegesipylam in matrimonium dederat, ex Herodoti (VI 39 et 41) lectione cognitum habebat. Simul a Thucydide (IV 105) compererat non procul a Thraciae oppidis Amphipoli et Eïone auri fodinas suas fuisse (§. 14). Quibus indiciis fretus ausus est pronuntiare Thucydidem ab Oloro rege Thracum, olim socero Miltiadis, gentem duxisse, eiusque matrem vocatam esse eodem nomine quo Thraciam Miltiadis coniugem. Eadem via ad Miltiadem et Cimonem cognatos genti Thucydidis pervenit, in hac cognatione fortasse etiam id secutus, quod columna sepulcralis Thucydidis in monu-

1) Utrumque falsum est: nam Miltiadi neque filius Olorus neque Hegesipyla filia, sed Cimon filius ex uxore Thracia natus est: Plutarch. Cim. c. 4.

mentis Cimoniis ostendebatur [1]. Et ipse quidem praefracte negare nolo, patrem Thucydidis aliqua cognatione attigisse Olori regis Thracii gentem et matrem eius nobis ignotam Hegesipylam fuisse: sed affirmare hoc multo minus velim, et ipse Didymus id non magis sua aetate quam nos nostra certo scire vel eruere potuit. Hoc igitur illi vertendum est vitio, quod ex obscuris rerum vestigiis admodum incerta tanquam explorata et comperta communicavit. Idem *βιβλιολάθαν* se prodidit, ubi Herodoto non diligenter inspecto et memoriae suae nimium confisus de Miltiade ex Chersoneso in terram Atticam fugiente haec narravit §. 12: *κατελθόντων δὲ εἰς τὴν Ἑλλάδα Περσῶν συσκευασάμενος τὰ αὑτοῦ εἰς τὰς Ἀθήνας πέμπει καὶ τὰ πολλὰ τοῦ γένους ἀποστέλλει. ἡ δὲ ναῦς ἁλίσκεται, ἐν ᾗ καὶ οἱ παῖδες αὐτοῦ, ἀλλ' οὐχ οἱ ἐκ τῆς γυναικὸς τῆς Θρᾳκικῆς· ἀφίενται δ' ὑπὸ βασιλέως, εἴ γε μὴ Ἡρόδοτος ψεύδεται. Μιλτιάδης δ' εἰς τὴν Ἀττικὴν ἐκ Θρᾴκης διαφυγὼν σώζεται.* Num Herodotus re vera haec narravit? Immo nihil de *liberis Miltiadis captis et dimissis* a rege Persarum, sed unum Metiochum Miltiadis filium natu maximum in fuga a Phoenicum navibus sua cum nave interceptum prodit, dum pater cum *ceteris quattuor navibus suis* Athenas evadit. Metiochus ad regem Darium adductus et ad vindictam sumendam traditus non modo poena nulla affectus est, sed domo et agris et uxore donatus apud Persas remansit: Herodot. VI 41. Rem igitur simplicem non sine peccatis nonnullis exsequi potuit. Quippe celerrime scripsit et levi recordatione lecta a se repetivit non centum puer artium, sed litterator

1) Didymum vel eius auctores, si quos habuit, secutus est Plutarchus Cim. c. 4: *Κίμων ὁ Μιλτιάδου μητρὸς ἦν Ἡγησιπύλης γένος Θρᾴττης, θυγατρὸς Ὀλόρου τοῦ βασιλέως . . . διὸ καὶ Θουκυδίδης ὁ ἱστορικὸς τοῖς περὶ Κίμωνα κατὰ γένος προσήκων* (h. e. *Cimoni cognatus*) *Ὀλόρου τε πατρὸς ἦν, εἰς τὸν πρόγονον ἀναφέροντος τὴν ὁμωνυμίαν, καὶ τὰ χρυσεῖα περὶ τὴν Θρᾴκην ἐκέκτητο.* Plutarchus tamen gravissimum argumentum contra hanc cognationem ibidem protulit: *ἀλλὰ Θουκυδίδης μὲν Ἁλιμούσιος γέγονε τὸν δῆμον, οἱ δὲ περὶ τὸν Μιλτιάδην Λακιάδαι.* ex verbis illis (§. 15) *δοκεῖ οὖν τισὶν υἱδοῦς εἶναι τοῦ Μιλτιάδου ἢ θυγατριδοῦς* non consequitur iam ab *antiquis auctoribus* hanc coniecturam propositam esse: nam fortasse in his sententiam Didymi habemus verbis paucioribus a scholiasta relatam, ut ipse demum pergat *παρέσχε δ' ἡμῖν* cet., aut Didymus sui temporis opinionem attulit.

conscribillans ingentem librorum copiam. Quod iam denoto, ut alios eius errores facilius agnoscamus. Negligentiam dicendi etiam in his verbis *ἀλλ' οὐχ οἱ ἐκ τῆς γυναικὸς τῆς Θρᾳκικῆς* deprehendimus: etenim ante narravit ipse (§. 11) *ἐξ οὗ καὶ αὐτῆς γίνεται παιδίον* [1]).

Hanc originem postquam Didymus indagasse sibi videtur, aliam famam, iuxta quam etiam genti Pisistratidarum Thucydides cognatus fuerit, ab Hermippo repetivit et veram esse concessit §. 18 et 32. Hanc vero non solum admodum incertam esse, sed fallaci coniectura natam ex argumento futili ab Hermippo ad eam rem convincendam suppeditato facile perspicitur, quanquam Didymus Hermippi opinionem ita descripsit, ut quod ille ad sententiam suam approbandam protulisset, hic tanquam consectarium ex ea referret (§. 18): *διὸ καὶ διαφθονεῖν αὐτόν φησιν ἐν τῇ συγγραφῇ τοῖς περὶ Ἁρμόδιον καὶ Ἀριστογείτονα κτλ.* Nam cum Thucydidem Hermippus duobus locis (I 20, VI 54—59) de Pisistratidis ingenue et benigne rettulisse vidisset, continuo coniecit rerum scriptorem non tam veritati morem gessisse quam genti sibi cognatae hoc tribuisse. Si meliora argumenta suppetissent, Didymus ea percensere non omisisset.

Ab investigatione gentis ad opes Thucydidis Didymus transgreditur. De quibus idem quod nos ex ipso Thucydide (IV 105) scire potuit, h. e. auri fodinas eius non longe ab Amphipoli et Eïone fuisse. Sed his paucis non contentus primum sedem earum *Scaptesulam* nominavit (§. 19. conf. §. 14). Id nomen ipsi suggessit Herodotus VI 46, ubi de Thasiis: *ἡ δὲ πρόσοδός σφι ἐγίνετο ἔκ τε τῆς ἠπείρου καὶ ἀπὸ τῶν μετάλλων. ἐκ μέν γε τῶν ἐκ Σκαπτῆς ὕλης τῶν χρυσέων μετάλλων τὸ ἐπίπαν ὀγδώκοντα τάλαντα προσήϊε.* Hac tamen coniectura sua verum attigisse Didymus videtur [2]): Scaptesula enim Thaso insulae obiacens etiam prope abest ab Eïone et Amphipoli. Hinc vero libere

1) Cimon is fuit, neque alii Miltiadis et Hegesipylae liberi memorantur. ex Attica uxore Metiochus et Elpinice nati erant.

2) Secutus est hanc opinionem Plutarchus, cum in Cimone c. 4 Thucydidem *Scaptesulae* (h. e. in suis possessionibus) exstinctum esse refert. conf. idem *de Exsil.* 14.

fingere pergit. Nam ut causam explicaret, qua Thucydides ad has divitias pervenerit, id quod ipse nobiscum ignoravit, puellam Scaptesulae ortam et admodum opulentam ei nupsisse narravit suam opinionem tanquam rem factam proponendo (§. 19). Semel autem coniectandi libidine correptus effrenate progreditur. Thucydidem enim, quem multo ditiorem quam fuit animo suo informavit, dicit grandem pecuniae vim donasse ducibus Atheniensium, multa etiam Lacedaemoniorum imperatoribus et aliis plurimis, ut sese belli Peloponnesiaci res scripturum nuntiis instruerent (§. 20). Cur haec tam ignota sibi quam per se incredibilia finxit? Scilicet ut delicias suas, *ζήτησιν* ac *λύσιν*, continuo (§. 21) promere posset, futiles quidem et ineptas, sed plane ex ingenio litteratoris Alexandrini minoris compositas.

Sequitur praeceptorum Thucydidis enumeratio, quorum Anaxagoram, quem in philosophicis audivisse eum Didymus narrat, ab Antyllo auctore sumpsit, Antiphontem eiusdem in arte dicendi magistrum ex ipso Thucydide non bene petivit (§. 22). Ex his primum eximendus est Anaxagoras, cuius discipuli Archelaus Socratis magister et Pericles et Euripides appellantur [1]), Thucydides nonnisi ab hoc nostro memoratur, adversante temporum ratione. Nam Anaxagoras et dives et nobilis non pueris erudiendis operam daturus sed doctorum hominum et optimatium consuetudine usurus anno 480 Athenis sedem fixit et annis triginta post inde abiit, cum Thucydides annum aetatis vicesimum primum agebat. Vid. Clintoni Fast. Hell. ad ann. 500 et 480 et 450 ante Chr. Posthac licet iterum Athenas venerit (v. Clinton. l. c. ad an. 432), tum tamen quo minus doceret discipulos accusatione prohibitus est. Sed illa narratio omnem fidem perdit eo, quod addidit Antyllus de Thucydide in opinionem impietatis *paulatim* [2]) adducto (*ὅθεν καὶ ἄθεος ἠρέμα ἐνομίσθη*). Nam hoc tam aperte ab ipso Anaxagora (Diogen. II §. 12—15) ad

1) Strabo XIV 1 §. 36 p. 645. Eusebius Praep. X 14. Diogen. Laert. II §. 16. Tzetza versibus in annotatione 2 p. 1 positis.

2) Cur *paulatim* pro *ἀθέῳ* habitus est? quippe opinabatur Antyllus hoc factum esse, posteaquam historia Thucydidis in hominum notitiam venerit. ignoravit igitur ante mortem illius nihil ex historia eius evulgatum esse.

eum qui fertur discipulus fuisse translatum est, ut etiam cetera pars eiusdem narratiunculae ficta et composita videatur. Res ipsa ab Antyllo vel ab alio inventa est, quia Thucydides tam in vita hominum quam in rerum natura causas in ipsis sitas plerumque exploravit, idque Anaxagorae rerum naturalium et mentis perscrutatori acceptum rettulisse creditus est. Alterum illud de Antiphonte Rhamnusio Thucydidis praeceptore traditum simili ratione excogitatum est. Nam Thucydides Antiphontis eximias virtutes ingenii cum nobili praeconio celebravisset (VIII 68), idemque caedem eius mira gratia inductus celavisse [1]) crederetur, his indiciis Antiphontem Thucydidis magistrum Didymus lucratus est: quanquam quae coniecturae suae argumenta erant sic prompsit, ut hoc ipsum legentes non facile animadverterent. Simplicius egit *Caecilius* Calactensis, amicus Dionysii Halicarnassensis, Didymi aequalis natu minor, de quo Pseudo-Plutarchus in Vit. X Rhet. ubi de Antiphonte: *Καικίλιος ἐν τῷ περὶ αὐτοῦ (Ἀντιφῶντος) συντάγματι Θουκυδίδου τοῦ συγγραφέως μαθητὴν* [2]) *τεκμαίρεται γεγονέναι ἐξ ὧν ἐπαινεῖται παρ' αὐτῷ ὁ Ἀντιφῶν.* Caecilius igitur aut Didymi placita secutus est aut ipse temerariam coniecturam protulit, nescius eam a Didymo occupatam esse. Ceterum per se patet de praeceptoribus Thucydidis nihil certi ad posteros tradi potuisse. Etenim ipse sero demum et post mortem magni nominis famam adeptus est, quo tempore ea res explorari iam non potuit.

De honoribus Thucydidis hoc unum ex ipso (IV 104 sqq.) accepimus, octavo anno belli Peloponnesiaci, h. e. Olymp. 89 1 sive 424 ante Chr., alterum fuisse ex duobus ducibus, qui navibus Atheniensium praepositi Thracum urbes populosque observabant, eumque illo tempore cum sua classis parte ad insulam Thasum stetisse. In eo imperio evenit, ut ab Amphipolitanis Atheniensium sociis adversus Lacedaemonios et Brasidam propere auxilio vocatus hoc oppidum ab hostibus iam insessum

1) Errore suo deceptus Didymus hoc opinatus est: latuit eum Thucydidis historiam ante caedem Antiphontis desinere.

2) Voluit *διδάσκαλον* scribere, sed calami vitio posuit *μαθητήν*, quem errorem fideliter propagavit Photius cod. 259.

tueri non posset, Eïona tamen non procul ab Amphipoli sitam opportune occuparet eoque ab hostibus defenderet. Haec ipse accurate narrando exsecutus est. Didymus, cui nimis pauca videbantur, aliena intulit: primum enim quod adiunxit (§. 23) *οὐκ ἐπολιτεύσατο δ' ὁ συγγραφεὺς γενόμενος ἐν ἡλικίᾳ οὐδὲ προσῆλθε τῷ βήματι*, id ex silentio Thucydidis temere coniecit. Verum enim vero qui credere nobis licebit, Thucydidem usque ad annum vitae quadragesimum octavum (hunc enim egit praeturae suae tempore, si Pamphila apud Gellium XV 23 rationem aetatis recte subduxit) a re publica capessenda abstinuisse ac nihilo minus belli ducem subito electum esse? Immo Didymus haec pronuntiavit, Thucydidis silentio male in ea re confisus [1]), ut maiore cum vi posset adiungere quae sequuntur: *ἐστρατήγησε δ' ἀρχέκακον ἀρχὴν παραλαβών.* Sed paulo licentius idem evagatur, cum pergit: *ἀλλὰ καὶ οὕτως τὸ πρῶτον ἀτύχημα εἰς ἁμάρτημα μεταλαβόντες (οἱ Ἀθηναῖοι) φυγαδεύουσιν αὐτόν.* Quamvis et Didymus et alii scriptores veteres [2]) de exsilio a civibus Thucydidi irrogato locuti sint, tamen ex ipsius de poena sibi decreta silentio (IV 108), magis etiam ex verbis de hac re scriptis [3]) satis patet, post praeturam sua sponte Thucydidem

1) Fortasse non nihil etiam poetarum comicorum de Thucydide silentio tribuit: certe in mutilo et corrupto scholio, quod tertium legitur ad Vespas Aristophanis 941 (982), Thucydidem rerum scriptorem respiciunt haec: *ὃς οὐδὲ πάντη γνώριμος ἐγένετο· ἀλλ' οὐδὲ παρὰ τοῖς κωμικοῖς, διὰ τὸ ἐπ' ὀλίγον στρατείας ἀξιωθέντα μετὰ Κλέωνος* (in hoc fallitur) *ἐπὶ Θρᾴκης φυγῇ καταδικασθῆναι* (hoc reposuit Krüger in *Vita Thucyd.* p. 43 pro *καταδικασθέντα*). si haec annotatio ex Didymi in Aristophanem commentariis ducta est, id quod mihi ob Philochorum et Theopompum et Androtionem illic commemoratos verisimile videtur, error ille qui latet in verbis *μετὰ Κλέωνος* aut epitomatori aut oblivioni Didymi assignandus erit.

2) Cic. de orat. II 13 56: *hos libros tum scripsisse dicitur, cum a re publica remotus atque, id quod optimo cuique Athenis accidere solitum est, in exsilium pulsus esset.* Plinius N. H. VII 31 (30): *Thucydidem imperatorem Athenienses in exsilium egere, rerum conditorem revocavere, eloquentiam mirati cuius virtutem damnaverant.* errat Plinius, cum credit ob editos historiae libros Thucydidem revocatum esse: is enim dum in vivis erat, nihil evulgavit. paulo cautius Cicero ponit *scripsisse dicitur.* cf. Plutarchus *de Exsilio* c. 14, in *Cimone* c. 4.

3) V 26: *ἐπεβίων δὲ διὰ παντὸς αὐτοῦ (πολέμου), αἰσθανόμενός τε τῇ ἡλικίᾳ, καὶ προσέχων τὴν γνώμην, ὅπως ἀκριβές τι εἴσομαι· καὶ ξυνέβη μοι φεύγειν τὴν ἐμαυτοῦ ἔτη εἴκοσι μετὰ τὴν ἐς Ἀμφίπολιν

ab urbe patria abstinuisse, atque caventem sibi a civium iracundia in iis regionibus versari maluisse, quae partium Peloponnesiarum essent. Vere hoc agnoscit Thucydidis scholiasta ad V 26: *ὅτι ὁ συγγραφεὺς εἴκοσιν ἔτη ἔφυγε τὴν πατρίδα καὶ περὶ Πελοπόννησον διέτριβε.* Didymus in alia omnia abiit falsa ductus opinione. Si hunc sequimur, post praeturam a Thaso Athenas Thucydides decessit, et leniore exsilii poena quem Ostracismum vocant punitus [1]) in Aeginam insulam cum pecunia sua abiit. Cur in Aeginam? Nimirum proxima Athenis fuit et civibus Atheniensibus plena, ut gratum et utile deversorium esset secuturo commerciorum usum. Pecuniae magnam copiam Didymus ei largitur, ut Aeginetis suppeditare pro usuris posset [2]). Hinc exsulem porro comitatur ad Scaptesulam ibique gratissimo otio sub platano [3]) historiae opus componentem facit. Haec omnia falsa sunt et ficta. Etenim Thucydides per viginti annos, quibus Athenas vitavit, neque in Aeginetarum insula neque apud Thraces Scaptesulae commoratus est, sed in iis regionibus vixit, quae Lacedaemoniis sociisque eorum parebant, id quod ipse professus est V 26. Aegina Atheniensibus subiecta erat, et Thasus cum finitimis Thraciae littoribus etiam post Amphipolim a Brasida

στατηγίαν, καὶ γενομένῳ παρ' ἀμφοτέροις τοῖς πράγμασι, καὶ οὐχ ἧσσον τοῖς Πελοποννησίων διὰ τὴν φυγήν, καθ' ἡσυχίαν τι αὐτῶν μᾶλλον αἰσθέσθαι.

1) A voce *τοῦ ὀστρακισμοῦ* quamvis abstineat Didymus, ipsa tamen narratione sua testarum suffragiis pulsum esse Thucydidem significavit. conf. schol. ad Aristophan. Vesp. 941 (982): *εἶδος γάρ τι φυγῆς ἐστιν ὁ ὀστρακισμός . . . . διαφέρει γὰρ φυγὴ ὀστρακισμοῦ, καθὸ τῶν μὲν φευγόντων αἱ οὐσίαι δημεύονται, τῶν δὲ ὀστρακισμῷ μεταστάντων οὐκέτι κύριος ὁ δῆμος. καὶ τοῖς μὲν καὶ τόπος ἀπεδίδοτο καὶ χρόνος, τοῖς δὲ οὐδέτερον τούτων.* Tzetza testarum iudicium pronuntiare non dubitavit his versibus:

[Ἔδει] μὲν εἰς γοργύραν, ὦ Θουκυδίδη,
Τοὺς Ἀττικοὺς ῥῖψαί σε σὺν τῷ βιβλίῳ,
Οὐκ ὀστρακίζειν Θρᾳκικοῖς σε τοῖς ὅροις.

Tzetza Didymi narratione ad opinionem suam inductus est.

2) Telam a Didymo inchoatam immane quantum auxit anonymus vitae Thucydidis auctor haec scribens: *φεύγων δὲ ἐν Αἰγίνῃ διέτριβεν κἀκεῖ λέγεται τὰς ἱστορίας αὐτὸν συντάξασθαι. τότε δὲ τὴν φιλαργυρίαν αὐτοῦ μάλιστα φανερὰν γενέσθαι· ἅπαντας γὰρ Αἰγινήτας κατατοκίζων ἀναστάτους ἐποίησεν.*

3) *Platanum* ex Phaedro Platonis (p. 230 B) in oram Thraciae transtulit.

captam sub imperio illorum diu permansit. Aliquanto post cladem Siculam etiam Thasus ab Atheniensibus defecit (conf. Thucyd. VIII 64), sed hoc demum duodecimo post Thucydidis calamitatem anno evenit. Didymus vero sic tradit, tanquam Thucydides in exsilium pulsus primum Aeginam accesserit, mox ad Scaptesulam se contulerit ibique omne absentiae tempus in historia conscribenda et usque ad vicesimum primum belli annum absolvenda consumpserit. Etiam postremum hoc falsum est. Thucydides enim per absentiae suae annos adversaria conficere et commentarios scribere perrexit: perfecto demum bello et patriae suae restitutus ad opus artis lege componendum et poliendum aggressus est, ut manifesto liquet ex iis quae ab ipso I 1 et 13 et 18 et 21—23 et 77 et 93, II 65, V 20 et 26 monita sunt. Conf. C. W. Krügeri *Vita Thucydidis* p. 71—74. O Mülleri *Historia litterarum Graecarum* II p. 350. Quae Didymus addit (§. 26), Thucydidem non irato in Athenienses animo scripsisse, haec prioribus consentanea et secundum eandem opinionem, qua statuit historiam Thucydidis in exsilio confectam esse, scripta sunt. Nam qui civibus suis reconciliatus et post diuturnae absentiae condicionem in patriam receptus scribendi initium sumpsit, ut Thucydides fecit, de eo nemo tanquam memorabile monuerit: *ἔγραφε δ' οὐδ' οὕτως μνησικακῶν τοῖς Ἀθηναίοις κτλ.*

Quae de morte Thucydidis legimus (§. 31—33), in his Didymi verba a scholiasta contracta sunt in brevius, id quod dolendum, non quo certius quoddam alioqui accepturi simus, sed quod insignis quaedam Didymi ratiocinatio obscurior facta est. Didymus igitur et ab iis dissentiens qui in Thracia et in exsilio Thucydidem exstinctum esse tradiderant, et refragatus Timaeo qui in Italia mortuum et sepultum esse autumaverat, suamque viam ingredi ausus a Zopyro hoc unum accepit probavitque, violenta morte perisse Thucydidem, eamque sic fere coniecit accidisse (§. 32): "Athenienses post cladem Siculam fugitivis civibus reditum concesserunt, exceptis Pisistrati posteris. Thucydides igitur hac venia usus cum Athenas reversus esset, tanquam Pisistratida vi occisus est." Haec quoque incredibilia et

aperte falsa ex sua opinione et coniectura hausit. Etenim observaverat historiam Thucydidis in medio anno vicesimo primo belli Peloponnesiaci imperfectam et quasi abruptam desinere eo temporis momento (Ol. 92 2=411), quod a clade Sicula Atheniensium (Ol. 91 4=413) non longe abesset. Inde falsa ductus opinione collegit, Thucydidem aliquanto post illam Atheniensium cladem in patriam redisse, imprudenter populiscito de exsulibus nuper proposito fidentem et historiam usque ad eum locum ubi nunc desinit confectam ex Thracia secum ferentem, mox autem interfectum esse ab aliquo, qui Pisistratidam impune posse interimi sperasset. Quam Didymi sententiam fuisse etiam alio argumento patet. Is enim non ea usus ratione temporum, qua Pamphila (Gell. XV 23) Thucydidem initio belli Peloponnesiaci *quadraginta* annos natum fuisse tradidit, ex locis Thucydidis (I 1, V 26) *triginta* fere annos ei assignavit, cum bellum exarsit: quippe numerum aliquem probabilem et rotundum elegit. Quibus addito belli tempore a Thucydide perscripto, h. e. annis paene 21, *plus quam quinquaginta anni* colliguntur. Atqui hoc vitae spatium Didymo iudice (§. 34) Thucydides emensus est. Haec quamvis prave a Didymo excogitata sint, ab eius tamen ingenio non aliena videntur. Ac falluntur etiam illi qui in exsilio apud Thraces mortem oppetivisse Thucydidem tradiderunt, in quibus Zopyrus, omnes qui §. 31 significantur, Plutarchus locis ante indicatis. Errat etiam Pausanias, cum Thucydidem post reditum statim occidisse refert I 23 11 (9): *Οἰνοβίῳ δὲ ἔργον ἐς Θουκυδίδην τὸν Ὀλόρου χρηστόν. ψήφισμα γὰρ ἐνίκησεν Οἰνόβιος κατελθεῖν ἐς Ἀθήνας Θουκυδίδην, καί οἱ δολοφονηθέντι, ὡς κατῄει, μνῆμά ἐστιν οὐ πόρρω πυλῶν Μελιτίδων.* Adiice quod Timaeus Thucydidem in Italia sepultum esse, Apollodorus (v. Stephan. Byz. s. v. *Παρπάρων*) in urbe Aeolica Parparone decessisse tradidit. Quid ex his inconstantis famae ludibriis consequetur? Nimirum ipsis veteribus ea de re nihil compertum fuisse. Unde autem insignis ista opinionum varietas orta sit, equidem in hunc modum coniectura explicandum esse puto. Finito bello Peloponnesiaco (Ol. 94 1 = 404), non statim sed tamen ante exitum eius anni, quo Athenae deditae sunt

Lacedaemoniis, Thucydides annum sexagesimum octavum tunc agens in patriam restitutus est. Hoc ita evenisse ex verbis ipsius (V 26) et ex populiscito ab Oenobio lato colligitur. Iam quae de rebus huius belli tum ab initio (v. Thucyd. I 1), tum postea annotaverat et interim in commentarios coniecerat, haec Athenis ad iustam historiae telam contexere et expolire coepit. Sed antequam totum opus confecisset, animam exspiravit, id quod nonnullis post reditum eius annis accidit. Qui extremo vitae suae tempore immortali operi perscribendo deditus erat, quique ante per viginti annos procul ab oculis civium egerat, quid mirum, hunc plerisque ignotum et nulla splendida pompa elatum et sine illustri nomine sepultum esse? Hoc re vera sic evenisse inde colligere licet, quod scriptores veteres de mortis Thucydidis genere nihil comperti, sed omnia discrepantia et diversa rettulere. Sed cum paulo post obitum historia eius edita est [1]), tunc gloria viri multis vocibus celebrari coepit, tunc monumentum ei ponere cives decreverunt. Sed quoniam cineris sepositi locus ignotus iam erat, columna sepulcralis cum titulo in *κενοταφίῳ* posita est eo loco, quo Cimonis monumenta spectabantur, sive Thucydides genti Cimonis re vera cognatus fuit, sive secuti sunt cives locum illustrem et multorum oculis expositum. Quam columnam cum *κενοταφίου* propriam esse nonnulli mox intelligerent, iidem in exsilii memoriam redeuntes de morte eius apud exteros consecuta temere cogitaverunt, et locum ubi vitae finem invenerit in variis regionibus anquisiverunt, Zopyrus et qui hunc secuti sunt, Hermippus et Plutarchus, in Thracia (v. §. 33, etiam 31 et 45. Plutarch. *de Exsil.* c. 14, in *Cimone* c. 4), Timaeus in Italia (§. 25 et 33), Apollodorus nescio qua coniectura ductus Parparone, Pausanias in ipso itinere cum rediret. Alii columnam et titulum pro verae sepulturae signo habentes aut Athenis mortuum esse dicebant et mortis genus sibi non cognitum hariolando invenire posse sibi videbantur, quam viam

1) Hoc ipsum opera et cura Xenophontis factum esse Diogenes Laertius ab aliis traditum narrat II 59: *λέγεται δ' ὅτι καὶ τὰ Θουκυδίδου βιβλία λανθάνοντα* (h. e post mortem auctoris nondum evulgata) *ὑφελέσθαι δυνάμενος αὐτὸς εἰς δόξαν ἤγαγεν.*

satis lubricam Didymus elegit (v. §. 32), aut cineres eius ex peregrina terra in Atticam clam illatos esse opinabantur, fata Themistoclis Thucydidi assimulantes. Lege §. 32 et 55. Plutarchi *Cimon.* c. 4. Caedis et violentae mortis suspicio inde nata videtur esse, quod monumenti forma arguebat non adesse defuncti scriptoris reliquias. Accessit historiae opus imperfectum et medio cursu interruptum. Quibus indiciis vaga coniectura praepropere ad exsilii tempus, ad possessiones in Thracibus sitas, ad violentum vitae exitum seducta est.

Altera pars disputationis e Didymo ascitae (§. 35—44) iudicium aestimationemque historiae Thucydidis exhibet. Quod ibi primo loco dictum est, aemulatum esse Thucydidem in operis dispositione Homeri virtutem, in dicendo Pindari gravitatem et excelsam naturam, in hoc facilius litteratum hominem et ab Homeri Pindarique [1]) lectione recentem quam simplicis ac sani iudicis sententiam offendimus. Quod sequitur de obscuritate loquendi, quam prudenter secutus esse Thucydides dicitur, ***ne omnibus accessum praeberet,*** sed nonnisi sapientissimorum hominum admirationem ferret, id falso praveque pronuntiatum esse liquet. Hanc suam explicationem quodam sententiae lumine illustrari concludique voluit: *ὁ γὰρ τοῖς ἀρίστοις ἐπαινούμενος καὶ κεκριμένην δόξαν λαβὼν ἀνάγραπτον εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον κέκτηται τὴν τιμήν, κτλ.* Perinde sedula sapientia [2]) deprehenditur in multis veterum scriptorum scholiis, quae Didymo aut disertim assignantur aut probabiliter tribui possunt. Hinc ad Antyllum pervenit (§. 36). Cuius sententia de modica imitatione Gorgiae et Prodici apud Thucydidem conspicua vera est et acuta, sed intra orationum historiae insertarum terminos coercenda, quod monere Didymus neglexit. Quibus expositis ad Homericam imitationem Thucydidis relabitur (§. 37) eamque varie definire conatur.

1. Utrumque commentariis illustravit. conf. Boeckhii praefatio ad scholia Pindari p. XVII sq. in Homeri carmina non solum *ὑπομνήματα* scripsit, sed etiam librum *περὶ τῆς Ἀρισταρχείου διορθώσεως* edidit. v. quae disputavit Lehrsius *de Aristarchi studiis Hom.* p. 19—31.

2. Ea per hunc nostrum libellum libere dominatur: lege §. 1, 5, 7, 21, 27, 32, 44. conf. Grauertus l. c. pag. 170 sq.

Adhuc descripsit quae Thucydides sumpserit ab aliis quaeque aemulari operam dederit: dehinc (§. 38) indicare pergit, quae ipse nova in historiam intulerit [1]). Sic venit ad conciones a Thucydide narrationi rerum gestarum additas et ex severa artis lege compositas. De quo argumento dum bene exponit et artis oratoriae praecepta sese tenere ostendit, impetrare tamen a se non potuit, quin etiam aliquid ex deliciis suis, *ἀπορίαν* dico et *λύσιν*, admisceret (§. 41—42).

Propriam huius disputationis particulam octavo libro dicavit, explicaturus causam, cur is et concionibus careat et dictionis floribus minus quam ceteri distinctus sit (§. 43 et 44). Hanc sic instituit ut primum aliorum opiniones paucis refelleret, dein eam proferret, quae sibi praeferenda videretur. Qui librum octavum filiae [2]) cuidam Thucydidis tribuere animum induxerant, eos ratiocinatione Didymus redarguit, duobus argumentis adversus hanc sententiam prolatis (§. 43); qui ad Xenophontem rettulerant, his diversum *χαρακτῆρα* opponit; Theopompo a nonnullis falso tribui simpliciter pronuntiat. Dehinc ipse Thucydidem octavi libri auctorem recte tenet, sed cum hanc operis partem in adversaria interim coniectam esse affirmat [3]), ut orationibus mox inserendis instrueretur et suppleretur aliisque delenimentis distingueretur, haec explicatio a vero prorsus aberravit [4]). Ex hac

1. Eadem via vitae Sophocliae scriptor (Didymus) incedit.

2. Fortasse hanc opinionem Polemo respexit, cum filium Timotheum Thucydidis commemoravit (§. 17; conf. pag. 14), ut hunc potius, si alius auctor octavi libri quaerendus esset, quam filiam non cognitam nominandum fuisse monuerit.

3. Vide quaeso, mi lector, quam accurate haec opinio respondeat alteri a Didymo supra (§. 32) defensae: nam illa si vera esset Thucydidesque iam anno vicesimo primo belli Peloponnesiaci Athenis caesus esset, in octavo libro res quae cummaxime gerebantur perscriptae fuissent, neque vitae tempus concessisset, ut haec novissima perinde atque cetera ornarentur. adeo optime omnia conspirant, ut vera Didymi mens, quamvis perversa, eruatur.

4. Vere Niebuhrius in *Museo Rhen.* a. 1827. t. I p. 198: „ich denke es ist eben des grossen Schriftstellers vollkommener Sinn für Angemessenheit darin zu erkennen, dass, — wie die Anstrengung und die Würde sich bis zur Katastrophe in Sicilien immer höher erhoben — so wie die Grösse der Geschichte aufhört, auch die Erzählung in einen andern Ton übergeht. Ein schlechter hätte geglaubt gleiches Pathos erhalten zu müssen. Für die Zeit gegen das Ende des Kriegs und während

octavi libri forma perperam eius menti insidente Didymus amplius collegit, a sene et aegrotante compositum esse. Postremo etiam hanc commentationis suae particulam sententiae lumine illustrari voluit: *ἀσθενοῦντος δὲ σώματος βραχύ τι καὶ ὁ λογισμὸς ἀτονώτερος εἶναι φιλεῖ· μικροῦ γὰρ συμπάσχουσιν ἀλλήλοις ὅ τε λογισμὸς καὶ τὸ σῶμα.*

IV.

De altero capite vitae Thucydidis.

Auctor novi capitis, a §. 46 incipientis et duabus partibus (§. 46—47 et 48—53) constantis, multis rebus a Didymo differt. Primum de vita Thucydidis ipse perpauca praemisit, eaque delibasse videtur, non tam ut vitam scriptoris sui traderet, quam ut planum fieret, quanta diligentia Thucydides in historia ad artis legem componenda versatus sit. Inde illud est quod dicit, Thucydidem cum bellum exarderet, res ab Atheniensibus et Lacedaemoniis in eo gestas collegisse et interim commentariis consignasse, mox exsulem apud Thraces diligentius scribere coepisse. Haec ex Zopyro et Hermippo videtur sumpsisse, sive ipsa scripta illorum legit sive a Didymo eam sententiam edoctus est. Idem hoc sibi proprium narravit, Cleonis calumniis exsilii poena multatum esse Thucydidem, *ideoque Cleonem apud ipsum tanquam rabiosum hominem ubique comparere.* Quae commenticia sunt et iis, quae de nullo Thucydidis in Cleonem odio privato Didymus affirmat (§. 26), contraria. Porro secundus auctor a dicendi flosculis abstinet, *quaestiones* non admiscet, sententiarum lumina nulla aucupatur. Veterum scriptorum auctoritatem non adhibuit,

der Tyranney würde Thukydides zu seiner Erhabenheit zurückgekehrt sein: die der langen Marter des unentscheidenden Kampfs musste leise erzählt werden.“ similem sententiam recte tuetur C. W. Krüger in *Vita Thucyd.* p. 74 sqq. paulum in diversum abit O. Müller in *Historia litt. Gr.* t. II p. 351.

doctrinam a Didymo ostentatam non affectavit. Unum Dionysium Halicarnassensem memorat (§. 53), non autem ut eius testimonio utatur, sed ut eiusdem de stilo Thucydidis pravam opinionem refutet. Sed hoc ipso indicio discimus alterius capitis scriptorem post Didymi aetatem vixisse. Dionysius enim, qui Caesaris Augusti temporibus floruit, Didymi aequalis fuit, sed aequalis aetate minor. Is autem cum calumniis Zoïlo dignis Thucydidi obtrectavisset et tribus scriptis stilum eius et historiae componendae genus temere et imperite lacessere ausus esset, hunc atque omnes ei similes secundus auctor prudenti admonitione sua confutavit (§. 53): *τὴν μέντοι ἰδέαν αὐτοῦ τῶν λέξεων καὶ τῶν συνθέσεων αἰτιῶνται οἱ πλείονες, ὧν ἐστὶ Διονύσιος ὁ Ἁλικαρνασεύς· μέμφεται γὰρ αὐτῷ ὡς πεζῇ καὶ πολιτικῇ λέξει χρῆσθαι μὴ δυναμένῳ, οὐκ εἰδὼς ὅτι δυνάμεώς ἐστι ταῦτα πάντα περιττῆς καὶ ἕξεως πλεονεξία.* Vere sane et opportune. Sed quis fuerit alter hic noster, certo sciri declararique non potest. Equidem suspicor excerptum legi a nobis ex scripto *Didymi Claudii* sumptum. Hunc Suidas in serie Didymorum post Didymum Chalcenterum et Didymum iuniorem item grammaticum Alexandrinum, sed ante eum posuit qui apud Neronem Caesarem commoratus est: *Δίδυμος ὁ Κλαύδιος χρηματίσας, γραμματικός.* Itaque Didymus Claudius sub principatu Claudii Caesaris [1]) videtur vixisse, h. e. aliquanto post quam Dionysius Halicarnassensis Thucydidis scribendi rationem acriter exagitaverat. Didymus ille Suida teste librum edidit *περὶ τῶν ἡμαρτημένων παρὰ τὴν ἀναλογίαν Θουκυδίδῃ.* Si secundum vitae caput hinc transcriptum est, Didymus Claudius non Dionysii vestigia stulte legere sustinuit, sed potius (atque huic opinioni titulus operis non adversatur) persecutus est ea Thucydidis propria, ad quae iudices parum periti pedem offenderant, ostenditque quomodo rara et nova non temere vituperanda, sed ad saniorem normam explicanda vel excusanda essent. Sic fragmentum nobis conservatum quasi prooemium libri illius haberi potest. Certe quae nos habemus, maioris disputationis particulam esse ostendere

1. Fortasse ab hoc vel alio gentis Claudiae manumissus Claudii nomen accepit.

haec videntur (§. 51): *καὶ ἄλλα μυρία, ἃ κατὰ μέρος ἐπιδεῖν πειρασόμεθα.* In iis quae secundus auctor de stilo Thucydidis exposuit, et subacti iudicii sanitatem et viri prudentis peritiam approbavit. Dum Didymus Chalcenterus magis circa Thucydidem vagatur, hic instituti sui rationem presso pede sequitur et extra ambitum operis promissi non egreditur. Virtutes dictionis Thucydidiae candide agnovit, propriam indolem eius recte explicuit. Semel tamen modum excessit, ubi haec scripsit (§. 51): *τὰ πολλὰ καὶ τῶν Γοργίου τοῦ Λεοντίνου μιμούμενος.* Rectius et moderatius de hac imitatione dixit Antyllus apud Didymum Chalcenterum (§. 36).

V.

De tertio capite vitae Thucydidis.

Etiam tertii scriptoris disputatio quamvis exigua duabus partibus absolvitur (§. 54—55 et §. 56), quarum prior vitam Thucydidis, altera historiam eius respexit. A testibus antiquis allegandis hic tertius abstinuit, nisi quod ad Antyllum a Didymo quoque citatum semel sed magna cum laude illius provocavit (§. 55): *καθά φησιν Ἄντυλλος, ἀξιόπιστος ἀνὴρ μαρτυρῆσαι καὶ ἱστορίαν γνῶναι καὶ διδάξαι δεινός.* Animum advertas, lector: utrumque egregius celebratur Antyllus, et contestari res gestas et historiam intelligere ac docere, h. e. et vitam scriptoris enarrare et historiae virtutes exponere. Id ipsum huic fragmento argumentum subiectum est. Adde quod in scholiorum nostrorum [1]) frustulis idem Antyllus tribus locis (h. e. saepius quam ullus alius Thucydidis interpres) laudatur (vid. pag. 7). Inde coniectura mihi nata est, ex Antylli commentariis in Thu-

1. In nostris scholiis quae antiqua sunt et notae melioris, ex uberioribus commentariis excerpta ad nos pervenere: alia ab hominibus medii aevi adscripta sunt.

cydidem vel potius ex eorum prooemio tertium hoc caput a vetere illo scholiasta Thucydidis petitum et ab hoc ipso castigatum esse et mutilatum [1]), ne eadem saepius inculcarentur. Ab utroque antecessore tertius testis in hoc differt, quod Herodotum et Thucydidem aequales fuisse ex historiis eorum ostendendi et addita narratiuncula quadam approbandi periculum fecit. Monet enim Thebanorum in Plataeenses irruptionem a Thucydide altero libro narratam etiam ab Herodoto (VII 233) commemoratam esse. Tanquam alterum huius rei argumentum famam illam attulit, iuxta quam recitasse historiam Herodotus narratur, Thucydide coram et in lacrimas erumpente, Herodoto autem patrem Thucydidis item praesentem his verbis consolante: *ὦ Ὄλορε, ὀργᾷ ἡ φύσις τοῦ υἱοῦ σου πρὸς μαθήματα.* Et Didymus et auctor secundus hanc fabulam aut non cognoverunt aut non dignam quam referrent iudicaverunt. Nihilo minus satis antiqua et Didymo certe prior videtur exstitisse: nam qui serius ad vitas veterum scriptorum narrandas accesserunt, hi, veluti Didymus, ratiocinando novos errores procreaverunt, sed res plane fictas, qualis illa est, non excogitaverunt. Antyllus narratiunculam suam ex aliqua rerum memorabilium congerie in suum commentarium videtur ascivisse. Ceterum tertius hic noster de *puero* Thucydide non cogitavit, sed aequalem Herodoti lacrimas fundere fecit. Quapropter scribit *τοῦ υἱοῦ σου*, non *τοῦ παιδός σου.* Puerum Photius exhibuit et Suidas [2]). Mortem Thucydidis apud Thraces evenisse narrat, eos secutus quorum apud Didymum mentio facta est, Zopyrum et Hermippum. Proprium hoc tradit, *pro-*

1. Hoc factum esse vel inde intelligitur, quod §. 55 Thucydides tanquam *ἐπὶ προδοσίᾳ φεύγων* designatur, quanquam in prioribus de fuga et exsilio Thucydidis ne verbum quidem positum est.

2. Phot. cod. 60: *λέγεται δὲ ἀναγινωσκομένης αὐτῷ τῆς ἱστορίας, κομιδῇ νέον ὄντα παρὰ τῷ πατρὶ Θουκυδίδην ἀκοῦσαι καὶ δακρῦσαι.* Suidas s. v. *Θουκυδίδης: οὗτος ἤκουσεν ἔτι παῖς τυγχάνων Ἡροδότου ἐπὶ τῆς Ὀλυμπίας τὰς ἱστορίας αὐτοῦ διεξερχομένου.* ex Marcellini opibus Tzetza hausit et puerum addidit in his:

Οὗ συγγράφοντος (Ἡροδότου) παῖς τελῶν Θουκυδίδης
Ἀκηκοὼς ἔκλαυσε τῶν συγγραμμάτων.
Ὁ δ' Ἡρόδοτος φησὶ πατρὶ τούτου τάδε·
Ἔνθεον, Ὄλουρε, παῖς ὁ σὸς ψυχὴν ἔχει.

ditionis causa [1]) a patria Thucydidem abstinuisse, et ossa eius secundum opinionem aliorum post mortem clam translata esse, dum alii in Thracia sepultum esse dicant (§. 55): *ἄλλοι δὲ λέγουσιν ὅτι ἐν ταῖς Ἀθήναις ἠνέχθη αὐτοῦ τὰ ὀστᾶ κρύφα παρὰ τῶν συγγενῶν καὶ οὕτως ἐτάφη· οὐ γὰρ ἐξῆν φανερῶς θάπτειν ἐν Ἀθήναις τὸν ἐπὶ προδοσίᾳ φεύγοντα.* Conficta haec esse liquido patet ex iis quae supra (pag. 23) disputavimus. Sed accedit aliud: quippe haec mortui Thucydidis fata illi de Themistocle narratiunculae assimilata sunt, de qua Thucydides I 139 haec prodidit: *τὰ δὲ ὀστᾶ φασὶ κομισθῆναι αὐτοῦ οἱ προσήκοντες οἴκαδε κελεύσαντος ἐκείνου καὶ τεθῆναι κρύφα Ἀθηναίων ἐν τῇ Ἀττικῇ· οὐ γὰρ ἐξῆν θάπτειν ὡς ἐπὶ προδοσίᾳ φεύγοντος.* Etiam haec de Thucydide fama, quamvis falsa et ex alia vetustiore detorta, satis antiqua videtur esse: certe Plutarcho cognita fuit, qui scribit in *Cimone* c. 4: *καὶ τελευτῆσαι μὲν ἐν τῇ Σκαπτῇ ὕλῃ (τοῦτο δ' ἔστι τῆς Θρᾴκης χωρίον) λέγεται φονευθεὶς ἐκεῖ. μνῆμα δ' αὐτοῦ, τῶν λειψάνων εἰς τὴν Ἀττικὴν κομισθέντων, ἐν τοῖς Κιμωνείοις δείκνυται παρὰ τὸν Ἐλπινίκης τῆς Κίμωνος ἀδελφῆς τάφον.*

De stilo Thucydidis tertius auctor paucis absolvit: fortasse nonnulla ab scholiasta omissa sunt aut brevius relata. Propria huic est comparatio Thucydidis cum Demosthene. Quibus rebus oratio huius ab illo differat, bene et acute declaratur: causa tamen discrepantiae non ex diversa natura et indole ipsorum, neque ex mutata temporis ratione, sed minus recte ex hominum apud Thucydidem loquentium magnanimitate repetitur.

VI.

De quarta particula vitae Thucydidis.

Restat annotatio brevis de historia Thucydidis varie divisa, ut libri aut decem tres aut octo evaderent (§. 57). Hanc ad-

1) Accepit hoc scriptor anonymus vitae Thucydidis: *ἐν δὲ τῷ Πελοποννησιακῷ πολέμῳ αἰτίαν ἔσχε προδοσίας.*

scripsit scholiasta ille auctore usus *Asclepiade.* Nominis enim Ἀσκληπιὸς forma libris antiquis vulgata mutanda est, ut fiat Ἀσκληπιάδης, quemadmodum Bekkerus idem nomen in scholiis Thucydidis ad I 56 ex duobus codicibus pro corrupto Ἀσλκηπιὸς vere restuit. Asclepiadis nomine prae ceteris [1]) duo grammatici cogniti sunt, alter *Tragilensis* Isocratis discipulus, Τραγῳδουμένων et commentarii de Μεγάλαις Ἠοίαις auctor, quem ab hoc nostro nunc laudatum esse parum credibile videtur, alter *Myrleanus*, de quo Suidas: Ἀσκληπιάδης Διοτίμου Μυρλεανός (πόλις δέ ἐστι Βιθυνίας, ἡ νῦν Ἀπάμεια καλουμένη), τὸ δὲ ἄνωθεν γένος ἦν Νικαεύς, γραμματικός, μαθητὴς Ἀπολλωνίου. γέγονε δὲ ἐπὶ τοῦ Ἀττάλου καὶ Εὐμένους τῶν ἐν Περγάμῳ βασιλέων. ἔγραψε φιλοσόφων βιβλίων διορθωτικά. ἐπαίδευσε δὲ καὶ εἰς Ῥώμην ἐπὶ Πομπηΐου τοῦ μεγάλου. καὶ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐπὶ τοῦ δ' Πτολεμαίου νέος διέτριψεν. ἔγραψε πολλά. Suidas urbem patriam Asclepiadis quanquam diligenter indicavit, idem tamen diversarum aetatum homines imperite commiscuit. Meliora nos edocet Strabo III 4 §. 3: ὑπὲρ δὲ τῶν τόπων (dicit Hispaniae meridionalis oppida ante enumerata) ἐν τῇ ὀρεινῇ δείκνυται Ὀδύσσεια καὶ τὸ ἱερὸν τῆς Ἀθηνᾶς ἐν αὐτῇ, ὡς Ποσειδώνιός τε εἴρηκε καὶ Ἀρτεμίδωρος καί Ἀσκληπιάδης ὁ Μυρλεανός, ἀνὴρ ἐν τῇ Τουρδιτανίᾳ παιδεύσας τὰ γραμματικὰ καὶ περιήγησίν τινα τῶν ἐθνῶν ἐκδεδωκὼς τῶν ταύτῃ. κτλ. Primus testium a Strabone laudatorum est *Posidonius Apameensis*, alter *Artemidorus Ephesius*, uterque temporibus Iulii Caesaris et Gnaei Pompeii ad litteras incumbens (cf. Vossius *de Historicis Graecis* p. 185 sq. et 198 sqq. ed. Westerm.), quibus tertius accedit *Asclepiades Myrleanus*, eorum qui modo nominati sunt haud dubie aequalis, cum ante id temporis natione Graecus non facile grammaticam in Turditania docturus fuisset, ut vere Suidas tradiderit ἐπαίδευσε δὲ καὶ εἰς Ῥώμην ἐπὶ Πομπηΐου τοῦ μεγάλου, quanquam antiquiorem nescio quem Ascle-

1. Conf. *Asclepiadae Tragilensis Tragodumenon reliquiae. Dissertatio posthuma Fr. Xav. Werferi* in Actis Monacens. vol. II. p. 491—554. de Myrleano Asclepiade Werfer ibi disputat p. 535—551. Clinton F. H. p. 523.

piadem perperam immiscens. Eundem Pompeii aequalem et Sextus Empiricus adv. Mathem. I 3 §. 72 significavit, cum tradit ab Asclepiade Dionysium Thracem, discipulum Aristarchi, reprehensum esse (cf. idem ibidem I 2 §. 47 et 12 §. 252), et Athenaeus cum alibi addito cognomine ad partes vocavit, tum scriptum eius *περὶ Κρατίνου* XI p. 501 E memoravit et ex commentatione *περὶ τῆς Νεστορίδος* haud pauca excerpsit XI p. 489 sqq. cap. 78—85. Conf. Ionsius *de Scriptor. h. ph.* II 17 3. Bernhardy ad Suid. l. c. Preller *Polemonis fragm.* p. 6 sq. Hunc Asclepiadem, Didymi aequalem, Thucydidis scholiasta tam in illo vitae loco quam in scholio ad I 56 auctorem adhibuit. Probabat autem Asclepiades aliquo libro, fortasse in opere suo *περὶ γραμματικῶν*, eam divisionem historiae Thucydidis, qua octo libri discernerentur, quaeque apud nos obtinet. Verbum *ἐπέκρινε* ostendit rem traditam ab aliis comprobatam esse Asclepiadis iudicio et auctoritate. Praepositio verbi nunc hoc denotat, iudicium ad rem quae ad iudicandum praesto est applicari. Sic, ne abeam longius, Didymus usus est hac voce §. 35.

QUAESTIO SECUNDA DE VITA SOPHOCLIS.

I.

Vitam Sophoclis Graecam Didymus conscripsit.

Σοφοκλέους γένος καὶ βίος inscribitur commentatio, quae codicibus nonnullis servata et cum tragoediis Sophoclis ad nostram memoriam propagata est. Cuius scriptor anonymus qui vulgo nominatur, et magna lectionis copia instructum se ostendit et in litteris minus illustribus adeo habitat, ut cuiusvis dicti de Sophocle prolati auctorem aliquem prompte recitare possit. Idem suo iudicio etiam in obscuris rebus et parum cognitis ita confidit ut testi a se laudato aut bono animo obsequatur aut sen-

lentiae inde recitatae libere refragetur. Interdum mediam viam ingressus hoc agit, ut traditum ab aliis neque totum verum neque omni ex parte falsum esse concedat, sed tertium ratiocinando procudat. Num hoc doctrinae specimen serioris aetatis homini adscribemus? num alicui ex collegio oecumenico, quod a Constantino Magno Constantinopoli constitutum esse et ad annum 730 post Christum illic perdurasse accepimus [1]), tribuendum videbitur? Non puto equidem illis saeculis fuisse, qui de Sophocle scribens tot veterum scriptorum libros nunquam vulgo et studiose lectitatos anquirere et consulere studeret; atque hoc si largiri ultro velimus, nihilo minus obstabit huic opinioni insignis ista iudicandi licentia et temeraria rerum obscurarum perscrutatio.

Sed haec de auctore vitae Sophoclis quaestio facilius solvetur, si ante ostensum erit, quo fundamento scholia vetera ad tragoedias Sophoclis, quae olim a Iano Lascare ex libro antiquo edita et nostra memoria Petri Elmsleii opera ex margine codicis Laurentiani emendatius evulgata sunt, innitantur. Qua quaestione breviter ut defungi possim, cum studiis aliorum, tum diligentia G. Wolffii nuper effectum est [2]). Scholia illa quanquam non omnia a perantiquis auctoribus composita, sed multa demum a manu hominum et in lingua Graeca et in ceteris rebus caecutientium addita sunt, tantum tamen affirmare audeo, eas annotationes in quibus rerum scriptores minus celebres et litteratores vulgo non satis cogniti laudantur, velut *Acestodorus*, *Andro*, *Androtio*, *Aristocrates*, *Astydamas*, *Dinias*, *Dionysius Thrax*, *Hecataeus*, *Herodorus*, *Ister*, *Lysimachus*, *Nymphodorus*, *Pherecydes*, *Phileas*, *Philochorus*, *Phylarchus*, *Polemo*, *Praxiphanes*, eas etiam in quibus poetae sive non ita illustres sive serioribus temporibus hominum manibus parum versati producuntur, ut *Agatho*, *Aristarchus Tegeata*, *Callimachus*, *Creophylus*, *auctor Cypriorum*, *Euphorio*, *Philocles*, *Thebaidos parvae scriptor*, has igitur omnes ex Didymi in Sophoclem commentariis

1. Goettlingii praef. ad *Theodosii Alexandrini grammaticam* p. VI sq.

2. *De Sophoclis scholiorum Laurentianorum variis lectionibus. scripsit Gust. Wolff. Lipsiae 1843.*

ab eo, qui hoc scholiorum corpus confecit quemque scholiastam Sophoclis nominamus, selectas et transcriptas esse. Nam ex testibus auctoribusque per hanc scholiorum congeriem large recitatis si duos excipiamus, *Herodianum* grammaticum et *Pium* interpretem Sophoclis, utrumque semel memoratum (ad Oedip. Col. 195 et Aiacem 408), in ceteris omnibus nullus est, quem Didymus, ipse in relicuo testium agmine novissimus (laudatur ad Oed. Col. 156 et 237 et 763, Antig. 4 et 45 et 722, Aiacem 408 et 1225), commemorare non potuit. Scholiasta vero, mediocri vir ingenio et eruditione non eximia, cum tot libros tantae scientiae, quot in his scholiis laudantur, ipse consuluisse et pervolvisse videri non possit, statuendum nobis hoc erit, auctorem ceteris aetate minorem, qui et priorum interpretum sententias percensuisset et multa variae lectionis copia conspicuus esset, ducem ei fuisse. Talis auctor et dux Didymus fuit. Quippe huius in Sophoclis tragoedias commentarios ab illo qui nostram scholiorum compagem, certe maximam eius partem [1]), confecit praecipue consultos esse et exscriptos hisce indiciis cognoscimus. Ad Oedipum Coloneum 237 ὦ ξένοι αἰδόφρονες in scholio satis copioso eius fabulae versus 237—253 et 254—257 in suspicionem revocantur, quasi profecti sint ab aliena manu: τὸ τῆς Ἀντιγόνης πρόσωπον ὅλον καὶ τοῦ χοροῦ τετράστιχον ἀθετοῦνται. Tum sequitur argumentum suspicionis: κρεῖττον γάρ φασιν εὐθέως τῷ δικαιολογικῷ χρῆσθαι τὸν Οἰδίπουν πρὸς αὐτούς. Hoc argumentum scholiasta continuo refutat et in fine totius disputationis addit: οὐδὲν δὲ ἐν τοῖς Διδύμου τούτων ὀβελισθὲν εὕρομεν. Duo hinc discimus, primum sententiam de versibus 237—257 Sophocli abiudicandis novitii critici esse, non antiqui cuius rationem Didymus habere potuisset, dein in aliis scholiorum locis prae ceteris Didymum usurpatum esse, quia lector nunc disertim admonendus videbatur, huius ἀθετήσεως nullum indicium apud Didymum esse [2]). Porro ad Antig. 45

1. Breviores quasdam annotationes etiam post συναγωγὴν a scholiasta collectam variis temporibus accessisse a vero minime alienum videtur.

2. Sed quis tandem erit, unde hanc doctam suam annotationem scho-

τὸν γοῦν ἐμὸν καὶ τὸν σὸν legimus: *Δίδυμος δέ φησιν ὑπὸ τῶν ὑπομνηματιστῶν* (Aristophanem et Aristarchum videtur dicere) *τὸν ἑξῆς στίχον νενοθεῦσθαι.* Qui ante Didymum commentarios Sophoclis ediderant, versum Antigonae 46 insiticium pronuntiaverant. Hos qui scholia conscripsit consulere non voluit aut non potuit, sed ipse de sententia illorum ex commentariis Didymi certior factus est. Is enim litteris variaque lectione instructissimus quae priores, praecipue Aristarchus et praeceptor eius Aristophanes, annotaverant, pro sua diligentia circumspexit et descripsit [1]. Sed in locis longe plurimis Didymi nomen adscribere scholiasta supersedit, auctores eius nominasse contentus. Sic quae ad Electram 488 *ἥξει καὶ πολύπους* posita sunt, *ἡ Ἐρινὺς ἡ ἐκείνῳ τῷ φόνῳ ἀκολουθήσασα· οὕτως ἐν τῷ ὑπομνήματι* [2], per haec commentarium Didymi significari facile concedent qui scholia ad Oed. Col. 156 et 763 comparaverint, in quorum fine scriptum est *οὕτω Δίδυμος.* In eadem ad Electram annotatione auctor *τοῦ ὑπομνήματος* (Didymus) coniecturam suam *πολύπαις* pro *πολύπους* communicaverat,

liasta sumpsit? Didymum esse dicit Wolffius l. c. p. 12, sed iuste demonstrare non potuit. immo unde rem Didymo nondum cognitam attulit, *Pium* fuisse ego contendo. is enim ex interpretibus *Didymo iunioribus* unus est qui in his scholiis laudatur: Aiac. v. 408 *δίπαλτος: ἀμφοτέραις ταῖς χερσίν, οἷον περιδεξίως με φονεύοι παντὶ σθένει, ὡς Δίδυμος. ἢ ὁ στρατός με φονεύοι λαβὼν τὰ δίπαλτα δοράτια, ὡς Πῖος φησίν.* post Didymum Pium vixisse liquet: sed eundem ego saltem usque ad exitum saeculi secundi post Christum promoveo. nam Herodianum ad Oed. Col. 195 laudatum ex Pio demum ad scholiastam pervenisse admodum verisimile est. fontes igitur scholiorum Sophoclis hos ego numero, Didymum et plurimos auctores ab hoc nominatos, Pium et aliquot testes eius in quibus et ipsum Didymum. has opes excerpsit et libere concinnavit qui scholiorum farraginem congessit.

1. Vera huius rei ratio probe perspici potest ex duobus scholiis ad Pindari Olymp. VI 55: ibi enim primum *οἱ ὑπομνηματισταί* et *Δίδυμος* ex diverso ponuntur, *τὴν Φαισάναν πάντες μὲν οἱ ὑπομνηματισταὶ τῆς Ἀρκαδίας εἶναι πόλιν ἐξεδέξαντο, ὁ δὲ Δίδυμός φησι τῆς Ἤλιδος αὐτὴν εἶναι,* mox eadem aliter relata succedunt, *Δίδυμός φησιν, ὅτι πάντες οἱ ὑπομνηματισάμενοι Φαισάναν φασὶν εἶναι Ἀρκαδίας πόλιν.* in annotatione ad Sophoclis locum supra indicatum forma multitudinis (*ὑπὸ τῶν ὑπομνηματιστῶν*) fortasse unum Aristarchum, tanquam eius sectae quam ipse sequebatur ducem, Didymus significavit, fortasse Aristophanem quoque complexus est.

2. Conf. ad Antig. 523: *ἐν δὲ τῷ ὑπομνήματι οὕτως.* ibid 1326: *ἐν δὲ τῷ ὑπομνήματι οὕτω.*

quanquam ipse traditam lectionem explicuit; hinc ibidem legimus: τὸ πολύπους ἐν ὑπερβολῇ ἔθηκεν· ἐν δὲ τῷ ὑπομνήματι (h. e. in commentario, non in ipso tragoediae contextu) κεῖται πολύπαις. ἐπεὶ γάρ, φησίν, ἐν τῷ Ὀρέστῃ τὴν πᾶσαν ἐλπίδα ἔχουσι, τὸ πολύπαις ἐν ὑπερβολῇ ἔθηκεν, ἡ πολλὰ κακὰ τίκτουσα [1]). Perinde ad Electram 451 ἀλιπαρῆ τρίχα primum vulgata explicatur, tum pergitur: ἐν δὲ τῷ ὑπομνήματι (in commentario prolata erat a Didymo coniectura, non in tragoediae contextum illata) λιπαρῆ, ὅ ἐστιν ἐξ ἧς αὐτὸν λιπαρήσομεν, ὡς εἰ ἔλεγεν ἱκέτιν τρίχα. Inde etiam hoc intelligitur, significari Didymum, quotiens οἱ ὑπομνηματισάμενοι in Sophoclis scholiis ad partes vocantur: unum enim interpretem intelligi, non plures, hinc apparet, quod ipsa verba τῶν ὑπομνηματισαμένων subiiciuntur: quippe plures interpretes eandem sententiam, sed non eadem verba ponere solent. Haec quid sibi velint quo melius perspicias, lege scholium ad Oed. Colon. 388 ποίοισι τούτοις: οἱ ὑπομνηματισάμενοι γράφουσιν οὕτω· "χρησμὸς τοιοῦτος γέγονεν,' ὁποτέρῳ ἂν ὁ Οἰδίπους πρόσθηται, τοῦτον κρατεῖν καὶ χωρὶς καὶ κατὰ κοινὸν τοῖς Θηβαίοις, ὅτι ἔσται αὐτοῖς μεγάλων κακῶν αἴτιος, ἐὰν μὴ θάψωσιν αὐτὸν ἐπὶ τῆς χώρας." Quibus scholiasta de suis addidit: ἐβουλόμην δὲ αὐτοὺς μαρτυρίῳ χρήσασθαι ἢ συγγραφέως ἢ ποιητοῦ. Ibidem ad v. 390 εὐνοίας χάριν: ἐν τοῖς ἀναγκαιοτέροις τῶν ἀντιγράφων γρ(άφεται) εὐσοίας χάριν, ὃ καὶ οἱ ὑπομνηματισάμενοι (Didymus) ἀξιοῦσιν. εὐσοιαν δέ φασι τὴν εὐθένειαν, καθάπερ καὶ ἐν Ἀμφιτρύωνι·

Ἐπεὶ δὲ βλάστοι, τῶν τριῶν μίαν λαβεῖν
Εὔσοιαν ἀρκεῖ.

Causa cur οἱ ὑπομνηματισάμενοι Didymus designaretur haec fuit, quod in eius commentario plerumque variae sententiae veterum interpretum exponebantur. Idem nomen praepositum est scholio ad Oed. Col. 681 θάλλει δ' οὐρανίας ὑπ' ἄχνας, in cuius initio scriptum οἱ ὑπομνηματισάμενοι γρ(άφουσιν) οὕτως, atque continuo sequitur ampla et erudita annotatio, in qua

1. Hanc loci explicationem non assecutus est Wolffius l. c. pag. 13. verba τὸ πολύπους-πολύπαις ipsius scholiastae sunt, cetera in utraque annotatione Didymi.

et fragmentum Euphorionis recitatur et Istri locus producitur, qui scriptores Alexandrini Didymo probe cogniti erant. Item Didymi admonitionem, ipsius nomine omisso, legimus ad Oedip. Col. 900 *σπεῖδειν ἀπὸ ῥυτῆρος: ἀντὶ τοῦ βλαύτης. τῶν δὲ ἐξηγησαμένων ἁπάντων αὐτὸ Πραξιφάνης δοκεῖ ἄμεινον ἀποδιδόναι, ἀκούων τὸ ὑπόδημα, οἷον τῶν ποδῶν τὸ κάλυμμα.* Didymus varias de nominis *ῥυτῆρος* significatu sententias percensens eam praetulit quam apud Praxiphanem invenerat: hanc unam scholiasta memoratu dignam iudicavit. Ceterum haec annotatio hactenus ab iis quas proxime transcripsimus differt, quod nunc non *οἱ ὑπομνηματισάμενοι*, sed *πάντες οἱ ἐξηγησάμενοι*, hoc est non Didymus ipse, sed quos enumeraverat interpretes, significantur.

Quae res ut magis appareat, etiam ex iis locis, quibus Didymi nomen in scholiis Euripideis adscriptum est (ad Hecub. 719 et 829 et 870, Orest. 1369, Phoen. 748 et 1748, Med. 149 et 171 et 276 et 360, Androm. 867, Troad. 1071), unum h. l. commemorandum putavi, dico scholium ad Orestam 1369 *ἁρμάτειον μέλος: τὸ ἁρμάτειον μέλος ὁ Δίδυμός φησιν ὠνομάσθαι, ὅτι αἱ ἀρχαῖαι παρθένοι εἰς τοὺς θαλάμους διὰ τῶν ὁρμάτων ἤγοντο.* Haec in eadem annotatione uberius exponuntur ac diversae aliorum sententiae referuntur, quo facto scholiasta pergit: *εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλαι αἰτίαι, ἃς ἐκτίθεται ὁ ὑπομνηματισάμενος.* Is ipse nemo est nisi Didymus in principio annotationis laudatus.

Redeo ad Sophoclis scholia. Argumenta adhuc exposita si collegerimus, quod Didymus testium in his scholiis citatorum, exceptis Herodiano et Pio, novissimus est, quod eius commentarii tragoediarum Sophoclis in dubiis rebus a scholiasta praecipue consulti sunt, quod idem simpliciter significatur *ἐν τῷ ὑπομνήματι* vel *οἱ ὑπομνηματισάμενοι*, quod unus ex ceteris aliorum sententias recenset (ad Antig. 45, Oed. Col. 900), hinc recte concludere posse nobis videmur, quaecunque scholia doctrina haud vulgari et copia lectionis exquisitae praecellunt, ea ex commentariis Didymi delibata esse [1]).

1. Conferenda sunt quae Boeckhius de scholiis Pindari observavit in praefatione p. XVII: „Quae scholiis antiquioris meliorisque notae continen-

Haec de scholiis exposita iam ad vitam Sophoclis, quae scholiorum prooemium [2] quoddam est, accommodabimus. Scilicet ea lectionis haud vulgaris copia, quam in melioribus scholiis agnoscimus quamque ex Didymi penu sumptam esse modo vidimus, vita Sophoclia praecipue excellit, eademque scriptorem alioqui parum a veteribus lectitatum et cognitum, Istrum Cyrenaeum dico, qui in illis scholiis sexies testis prodiit (ad Oed. Col. 42, 57, 681, 701, 1051, 1059), *septies* auctorem adhibuit. In qua re etiam hoc quod observetur dignum est, unum ex illis scholiis Istri testimonium afferentibus (Oed. Col. 681) ad *τοὺς ὑπομηνματισαμένους*, h. e. ad Didymum, disertim relatum esse itemque cetera e Didymo sumpta esse ex condicione scholiorum Sophoclis manifesto consequi [1]. Haec quo tendant, lector, videbis. Nimirum scriptor qui ab aliis raro, a Didymo saepissime testis advocatur, idem primas partes agit in opusculo cuius auctorem quaerimus. Accedit aliud. In tota scriptorum caterva per vitam illam congregata nemo est qui Didymo recentior sit, immo omnes satis diu ante Didymum vixerunt. Ipsum autem vitae scriptorem ad inferiora tempora iuste detrudi non posse sed auctorem esse antiquum, hoc partim ex indiciis quae in principio huius quaestionis posita sunt apparet, partim inde licet colligere, quod ille consulere potuit omnes litteratores qui de Sophoclis vita scripserant, ut ex his verbis intelligimus (§. 2):

tur, ea ex Didymi commentariis excerpta maximam partem videntur: et Didymus ipse, ni fallor, priorum interpretum sententias plerasque scriptis suis complexus erat." idem quodammodo dici potest de scholiis Aristophanis et Apollonii Rhodii, de parte scholiorum Homeri: sed Sophoclia ceteris eo praestant, quod praeter Herodianum Piumque semel memoratos testis nullus inest, qui post Didymum vixerit.

2. Quod vitas tragicorum Graecorum a scholiis discretas nunc legimus, hinc factum est, quod scholia in margine singularum tragoediarum adscripta sunt, ubi nullus erat vitis locus. idem dicendum est de vita Thucydidis.

1. Didymus etiam in commentariis suis ad Pindarum testimonium Istri recitavit, ut tradit schol. ad Pind. Olymp. VI 55: *αὐτὸς (Δίδυμος) δέ φησιν εἶναι τῆς Ἠλιαίας, καὶ παρατίθεται Ἴστρον ἱστοροῦντα ἐν τῇ πέμπτῃ Ἠλιακῶν.* hinc facile patet Istrum in duobus aliis Pindari scholiis memoratum (ad Olymp. I 37, VII 146) item Didymo deberi. idem dicendum de Istro in scholiis Aristophanis (Nub. 967, Av. 1693, Lys. 643), Apollonii Rhodii (II 207), Homeri (Il. *Κ* 439, *Τ* 119, *Ψ* 783) laudato.

πλὴν Ἴστρου παρ' οὐδενὶ ἑτέρῳ τοῦτ' ἔστιν εὑρεῖν. Venio ad tertium argumentum. Scholia comoediarum Aristophanis ita composita sunt, ut annotationes doctrina conspicuae ex *Didymi* commentariis receptae sint, sive scholiasta pro ducibus suis auctoribusque et Didymo et Symmacho usus est, id quod ego existimo, sive Didymi opes demum ex Symmacho ascivit, quae O. Schneideri sententia est [1]). A Didymo igitur haud dubie profectum est rarae doctrinae scholium ad Ranas 73 τί δ' οὐκ Ἰοφῶν: Ἰοφῶν υἱὸς ἦν Σοφοκλέους ἐκ Νικοστράτης, ὃς δόκησιν παρεῖχεν, ὅτι τοῖς τοῦ πατρὸς ἔχρητο ποιήμασιν ὡς οἰκείοις. εἰσήγαγε δέ ποτε Σοφοκλῆς ἐν δράματι τὸν Ἰοφῶντα φθονοῦντα καὶ πρὸς τοὺς φράτορας ἐγκαλοῦντα τῷ πατρὶ ὡς ὑπὸ γήρως παραφρονοῦντι. οἱ δὲ τῷ Ἰοφῶντι ἐπετίμησαν. Σάτυρος δέ φησιν αὐτὸν εἰπεῖν, "εἰ μὲν εἰμὶ Σοφοκλῆς, οὐ παραφρονῶ, εἰ δὲ παραφρονῶ, Σοφοκλῆς οὐκ εἰμί." καὶ τότε τὸν Οἰδίποδα ἀναγνῶναι. Cum his ea quae in vita Sophoclis (§. 10) relata legimus adeo consentiunt, ut qui hanc narrationem scripserit, idem illam dedisse censendus sit, vel potius utramque narratiunculam ex eodem fonte petitam esse constet. Alteram Aristophanis scholiasta ex *Didymi* commentariis comoediarum Aristophanis, alteram Sophoclis scholiasta ex prooemio commentariorum Didymi in Sophoclis tragoedias sumpsit. In eadem annotatione amplius hoc scriptum est: οὐ μόνον δὴ Χοιρίλῳ καὶ τοῖς περὶ Αἰσχύλον καὶ Εὐριπίδην [2]), ἀλλὰ καὶ Ἰοφῶντι συνηγωνίσατο τῷ υἱῷ. Vide quomodo his respondeant vitae verba (§. 14): συνηγωνίσατο δὲ Αἰσχύλῳ καὶ Εὐριπίδῃ καὶ Χοιρίλῳ καὶ ἄλλοις πολλοῖς καὶ Ἰοφῶντι τῷ υἱῷ. De aetate tragoediae Graecae principum in scholio ad Ranas 75 haec notata legimus: ἦν γὰρ ὁ Σοφοκλῆς Αἰσχύλου μὲν ἔτεσιν ἑπτὰ νεώτερος, Εὐριπίδου δὲ [3])

1. *De veterum in Aristophanem scholiorum fontibus commentatio. scripsit Otto Schneider.* Sundiae 1838.

2. τοῖς περὶ Αἰσχ. καὶ Εὐρ. idem est atque Αἰσχύλῳ καὶ Εὐριπίδῃ, nihil amplius. hoc ipsum loquendi genus *Didymo* familiare fuisse in annotatione ad vitam Thucydidis §. 2 ostendi.

3. Utroque loco vera scriptura corrupta et mutilata in hunc modum restituenda videtur, apud Aristophanis scholiastam ἦν γὰρ ὁ Σοφοκλῆς Αἰσχύλου μὲν ἔτη εἰκοσιεπτὰ νεώτερος, Εὐριπίδου δὲ πρότερος κδ', apud vitae scriptorem ἦν δὲ Αἰσχύλου νεώτερος ἔτη εἰκοσιεπτά,

κδ'. Perinde scriptor vitae §. 4: *ἦν δὲ Αἰσχύλου νεώτερος ἔτεσιν ἑπτά, Εὐριπίδου δὲ εἰκοσιτέσσαρα.*

Adhuc vestigia bene multa ad Didymum nos duxerunt. Sed quae res alioqui ultra probabilitatis terminos promoveri vix posset, hanc ego novo adhibito adiumento ultra omnem dubitationem collocatum iri spero. Quo adiumento ut iuste possimus uti, respicienda sunt illa, quae de vita Thucydidis a Didymo composita ante cognovimus. Adeo enim haec illi similis est, ut idem utriusque auctor latere nequeat. In utraque rara doctrinae et multarum litterarum ostentatio. Auctor utriusque eo inclinavit ut in rebus obscuris coniectando quaedam eliceret et sua commenta tanquam res non dubias cum legentibus communicaret. Ex Thucydidis vita exempla ante dedimus, ex Sophoclia continuo quaedam notabimus.

Ubi narrator vitae Sophoclis et patriam eius indicavit et nomen patris *Sophili* posuit, subiecit (§. 1): *ὅς οὔτε, ὥς Ἀριστόξενός φησι, τέκτων ἢ χαλκεὺς ἦν, οὔτε, ὥς Ἴστρος, μαχαιροποιὸς τὴν ἐργασίαν, τυχὸν δὲ ἐκέκτητο δούλους χαλκέας τε καὶ τέκτονας.* Si hanc rem sobrie considerasset, facile intellecturus erat auctoribus suis de arte a Sophilo factitata nihil comperti fuisse, quod traderent, ideoque incertos haerere, si quidem Aristoxenus narravit Sophilum fabrum tignarium fuisse (*τέκτονα*) aut aerarium (*χαλκέα*), Ister gladiorum vel cultellorum opificem (*μαχαιροποιόν*). Didymus haec partim vera, partim falsa esse coniiciens, statim tanquam fortissimus rationalistarum duas attulit rationes satis fallaces, quibus ostenderet Sophoclem non humili sed nobili loco natum esse; quo facto illam rem ita se habuisse statuit, ut pater Sophoclis non ipse quidem operarius fue-

Εὐριπίδου δὲ πρότερος εἰκοσιτέσσαρα. ex *ἔτεσιν* feci *ἔτη εἴκοσι* ac *πρότερος* ob praegressum *νεώτερος* imprudenter omissum esse statuo. ceterum communia vitia arguunt alterutrum locum ex altero interpolatum et auctum esse. interpolatus autem est scholiasta Aristophanis. nam ab eo cum primo annotatum esset *πρότερον δὲ τῇ ἡλικίᾳ, ἢ τιμιώτερον*, recentior manus (fortasse Thomas Magister) ex vita Sophoclia iam deformata addidit *ἦν γὰρ ὁ Σοφοκλῆς* cet. Lessingius in *Vita Sophoclis* (t. VI p 296 ed. Lachm.): *ἦν Αἰσχύλου μὲν νεώτερος ἔτη εἰκοσιτέσσαρα, Εὐριπίδου δὲ παλαιότερος δεκαεπτά*, Boeckhius *Graec. trag. princ.* p. 49: *ἦν Αἰσχύλου μὲν νεώτερος ἔτη εἰκοσιεπτά, Εὐριπίδου δὲ παλαιότερος δεκατέσσαρα.*

rit, sed servos aluerit operam et tignariam et aerariam exercentes. Prudenter hic noster *δούλους χαλκέας τε καὶ τέκτονας* posuit, ut incertum illud ab Aristoxeno relictum (*τέκτων ἢ χαλκεύς*) iam satis explicatum videretur. Iidem servi, quos in Sophili ergastulis habitos esse decernit, quo minus etiam *μαχαίρας* facerent cum nihil obstaret, tres incertae narrationis formas in unam collegit.

Mox Istro narranti, Sophoclem non Athenis sed Phliunte in Peloponneso natum esse, non quidem ait credendum esse, sed nihilo minus existimans aliquid veri etiam huic narrationi subesse, maiores Sophoclis Phliunte Athenas venisse credit (§. 2), veram eius rei rationem haud assecutus. Hanc Fr. Iacobsius ad Anthologiam Gr. t. VII p. 396 et ad Anthologiam iterum editam t. III p. 225, Welckerus in Trilogia Aeschylia p. 235 annot. 170 in lucem protraxerunt. Nam cum Dioscorides in pulcherrimo suo epigrammate (Anthol. VII 37), ubi saltatorem tragicum (Bacchum statuit Welckerus) in Sophoclis tumulo verba facientem seque *τὸν ἐκ Φλιοῦντος* designantem induxisset, Ister Sophoclem dici opinatus temere ac leviter pronuntiavit Sophoclem Phliunte oriundum fuisse, idemque hunc nostrum ad falsam coniecturam seduxit. Nempe Didymus ideo *τὸν ἐκ Φλιοῦντος* Sophoclem vocari coniectavit, quod maiores eius illinc in terram Atticam commigravissent.

Etiam ὁ *βιβλιολάθας*, quem in vita Thucydidis supra deprehendimus, uno sed illustri exemplo vitae Sophoclis §. 10 agnoscitur: *καί ποτε ἐν δράματι παρήγαγε (Σοφοκλῆς) τὸν Ἰοφῶντα φθονοῦντα καὶ πρὸς τοὺς φράτορας ἐγκαλοῦντα τῷ πατρὶ ὡς ὑπὸ γήρως παραφρονοῦντι. οἱ δὲ τῷ Ἰοφῶντι ἐπετίμησαν.* Nam Iophon ad *Φράτορας* progressus et coram his de patre desipiente questus cum a *Leucone* in comoedia, cui nomen *Φράτορες*, Olympiadis 89 anno tertio [1]) in scena Atheniensium ostensus esset, ut acute Naekius et Schöllius [2]) intellexerunt, Didy-

1. Argum. ad Pacem Aristophanis: *ἐνίκησε δὲ τῷ δράματι ὁ ποιητὴς ἐπὶ ἄρχοντος Ἀλκαίου. πρῶτος Εὔπολις Κόλαξι, δεύτερος Ἀριστοφάνης Εἰρήνῃ, τρίτος Λεύκων Φράτορσι.* cf. Athen. VIII p. 343 C.

2. Naekius sententiam suam in scholis academicis olim exposuit (cf.

mus, ut mea fert opinio, hoc ludicrum iudicium apud Leuconem vel apud alium scriptorem ex hoc referentem olim cognoverat, post autem ex infida recordatione scribens Sophoclem posuit ubi Leuco nominandus erat.

Ordo et habitus disputandi idem est in utraque scriptione. Quaecunque narrantur, testes continuo producuntur, et accepta ab his aut nude referuntur aut novis additamentis immutantur et dilatantur. Quod in utraque dissertatione primum vita narratur, tum scripta aestimantur, premere nolim, cum ex ipsa natura argumenti consequi videatur: sed grave hoc mihi videtur, quod in iudicio de Thucydidis historia et de Sophoclis tragoediis primum exponitur quid uterque ab aliis sumpserit, tum definitur quid ipse novi attulerit, quod de imitatione Homeri et apud Thucydidem et Sophoclem nimium affirmatur [1]. Etenim Homeri prae ceteris omnibus a se culti et aestimati vestigia ille sectae Aristarchiae alumnus ubique impressa se conspicere, ubique relicta deprehendere opinabatur.

Quibus in rebus cum ambae commentationes non minus quam ovo ovum similes sint, eaedem tamen tantum differunt, quantum propter utriusque operis, unde excerptae sunt, diversam propositi rationem exspectare convenit. Nam in Symposiacis cum Didymus hoc secutus sit, ut lectores non modo doceret sed etiam delectaret, in fragmento inde sumpto liberius evagatur, quaestiones nectit solvitque, locos ex poetis delectos immiscet, sententias aucupatur, audacibus translationibus utitur. Idem in Sophoclis commentariis vela paulum contrahenda censuit, a quaestionibus abstinuit, fucatum dicendi genus plerumque vitavit. Nam eiusmodi libro tenue dicendi genus et inornatum magis

Welckeri *Tragoed. Gr.* p. 263), Schöllius in *Vita Sophoclis* p. 364—381. quod statuit Naekius nomen Leuconis post verbum *παρήγαγε* excidisse, hanc coniecturam dissuadet comparatio schol. ad Ranas Aristoph. v. 73, dissuadet res ex ingenio Didymi ac nimia eius festinatione a me simplicius explicata. alia via narrationis illius originem indagare conatus est Welckerus in *Tragoedia Graeca ad Cyclum ep. disposita* t. I p. 254—268.

1. Vita Thuc. §. 37: *μάλιστα δὲ πάντων ἐζήλωσεν Ὅμηρον κτλ.* vita Soph. §. 15: *τὸ πᾶν μὲν οὖν Ὁμηρικῶς ὠνόμαζε· τούς τε γὰρ μύθους φέρει κατ' ἴχνος τοῦ ποιητοῦ καὶ τὴν Ὀδύσσειαν ἐν πολλοῖς δράμασιν ὑπογράφεται.*

convenire existimavit. Sed nonnulla insolitae locutionis vestigia, illis persimilia quae in vita Thucydidis supra vidimus, etiam in hoc opusculo reperiuntur. Sic *a comicis poetis non lacessitum esse Sophoclem* in hunc modum ille verbis extulit (§. 1): *ὑπὸ τῶν κωμῳδῶν ἄδηκτος ἀφείθη*, h. e. *a comoedis nullo morsu appetitus dimissus est.* Etiam audacius dictum est quod de Sophocle Homericam dulcedinem omnibus partibus et imitante et perficiente scripsit (§. 15): *Ὁμηρικὴν ἐκματτόμενος χάριν*, h. e. *die Homerische Anmuth durchknetend.* Imitatus est Aristophanem suum [1]) qui Pisthetaerum sic loquentem in Avibus 462 inducit:

Καὶ μὴν ὀργῶ νὴ τὸν Δία καὶ προπεφύραται λόγος εἷς μοι,
Ὃν διαμάττειν οὐ κωλύει.

His adde quae §. 16 legimus: *μόνος δὲ Σοφοκλῆς ἀφ' ἑκάστου τὸ λαμπρὸν ἀπανθίζει, ab unoquoque quod splendidum tanquam florem decerpit.*

Si quis de Didymo vitae Sophoclis auctore dubitabit propterea, quod nomen eius non memoratur, cum in Thucydidia quater positum sit, ille meminisse velit in disponenda Thucydidis vita eum qui excerpta fecit sibi sumpsisse, ut verba auctoris sui aliquotiens contraheret in brevius et sententiam eius nimis copiose enuntiatam paucioribus efferret. Idem in Sophoclis vita factum non est, neque causa aderat cur fieret. Nimirum grammaticus disputandi ubertatem ipse nunc castigaverat, ipse quae aliena videbantur ab argumento ad explicandum proposito vitaverat. Ita evenit, ut tota dissertatio nulla voce mutata excerperetur et ad nostra tempora conservaretur.

1. Aristophanis comoedias commentariis cum illustrasset, eius dictioni bene assuetus erat. idem in Cratini, Phrynichi, Menandri, etiam in Eupolidis fabulas (v. schol. Apollonii Rhod. I 1139, IV 144. Wolff l. c. pag. 15) commentatus erat. hinc causa perspicitur, cur hic noster pronuntiare audeat Sophoclem a comicis non lacessitum esse: quippe in comoediis probe multumque versatus erat.

II.

De Didymi testibus.

Didymus de vita Sophoclis quae narravit ad hos testes rettulit, *Aristoxenum*, *Hieronymum*, *Neanthem*, *Istrum*, *Aristophanem*, *Carystium*, *Satyrum*. Antiquissimus auctorum quem in tradenda Sophoclis vita Didymus bis nominavit quique primus hac de re videtur scripsisse, *Aristoxenus* est Tarentinus, Aristotelis discipulus. Quae primo loco de Sophilo patre Sophoclis narrantur (§. 1), cum fabrum tignarium fuisse aut aerarium, haud dubie ex opere *περὶ βίων ἀνδρῶν* sumpta sunt. De hoc Hieronymus in prologo de Viris Illustribus: *Hortaris me, Dexter, ut Tranquillum sequens ecclesiasticos scriptores in ordinem digeram, et quod ille in enumerandis gentilium litterarum viris fecit illustribus, ego in nostris faciam. . . . Fecerunt quidem hoc idem apud Graecos Hermippus peripateticus, Antigonus Carystius, Satyrus doctus vir, et longe omnium doctissimus Aristoxenus musicus.* Plutarchus ubi ostendit *non suaviter vivi posse iuxta Epicurum* c. 9 p. 1093 C: *βίους ἀνδρῶν Ἀριστόξενος ἔγραψεν.* Hinc excerpta sunt quae Athenaeus ex Archytae vita recitavit XII p. 545 A—E; conf. X p. 418 E. Diogenes Laert. I 118, II 19, III 8, V 35. Gell. IV 11 4. Plutarch. *de Herodoti malign.* c. 9 p. 856 C: *ἐγγὺς δὲ τούτων εἰσὶν οἱ τοῖς ψόγοις ἐπαίνους τινὰς παρατιθέντες, ὥς ἐπὶ Σωκράτους Ἀριστόξενος ἀπαίδευτον καὶ ἀμαθῆ καὶ ἀκόλαστον εἰπὼν ἐπήνεγκεν "ἀδικία δὲ οὐ προσῆν".* Ipsum librum Aristoxeni a Didymo inspectum, non ex alio demum teste cognitum ei fuisse, videre licet ex illis verbis quae scripsit in re ab uno Istro tradita (§. 2): *πλὴν Ἴστρου παρ' οὐδενὶ ἑτέρῳ τοῦτ' ἔστιν εὑρεῖν.* Alterum quod ex Aristoxeno Didymus rettulit (§. 17), Sophoclem primum fuisse poetarum Atheniensium qui Phrygiam melopoeiam in cantica sua admiserit, ex eodem scripto petitum videtur [1]. Et hoc quidem

1. Scripsit Aristoxenus etiam de tragoediarum poetis (*"ἐν τῷ πρώτῳ περὶ τραγῳδοποιῶν"* Ammonius s v. *ῥύεσθαι*), unde illud de Phrygia melopoeia traditum excerpi potuit, sed pars haec videtur fuisse operis cui nomen *βίων*.

de Phrygiis modis a Sophocle ascitis omnino credendum est Aristoxeno luculento harum rerum existimatori. Sed alterum de arte quam Sophoclis pater factitaverit vel ob hoc parum credibile videtur, quod Aristoxenus ipse inter artes satis diversas incertus pendebat et Ister rursus aliam intulit. Nam Aristoxeni verba et Istri ab hoc nostro perperam intellecta esse, id quod ab aliis creditum esse video, hoc ut approbem nulla idonea causa suadere mihi videtur. Fortasse haec fama eo referenda est, quod homines praeclaro ingenio illustres libenter ad infimos natales detruduntur [1]) aut generalis quaedam ac ficta significatio subest, quatenus praestantissimus poeta *τέκτονος ἀνδρὸς υἱὸς (eines werkbildenden Mannes Sohn)* fuisse ferebatur ingeniique feracitas aliqua ex parte a patre repetebatur. Sic Archilochus acerbos iambos qui fudit matrem suam ancillam *'Ενιπὼ* sive *Maledicentiam* esse ipse dicebat [2]), et Socrates qui in animis iuvenum *ὠδῖνας* excitare et eosdem a doloribus acribus liberare callebat, matrem suam obstetricem fuisse nomine *Φαιναρέτην (quae virtutem elicit)* facete professus est apud Platonem in Theaet. p. 149 A.

Aristoxeno suppar aetate vixit *Hieronymus Rhodius*, qui circa annum 250 ante Christum innotuit, Timoni Phliasio aequalis (Diogenes IX 112), Lyconi aemulus (idem V 68), Aristotelicae philosophiae studiosus (*'Αριστοτέλους ὢν μαθητής* Athen. X p. 424 F) neque alienus a placitis Epicuri: Cic. Tuscul. II 6: *hunc post Rhodius Hieronymus vacare dolore summum bonum dixit.* Hieronymus et alia scripsit et *τὰ σποράδην ὑπομνήματα* composuit, a Diogene Laertio ter memorata (I 26 et 27, II 14), ab eodem sine nomine libri adhibita II 26, VIII 21, IX 19. Quae Athenaeus XIII p. 557 E et 604 D excerpsit *ἱστορικὰ ὑπομνήματα* Hieronymi, quin idem opus fuerit dubitari nequit [3]).

1 Aliis in rebus animi morositas et maledicendi libido iure notatur in Aristoxeno (v. Luzacii *Lectiones Atticae* sect. II §. 25, 28, 29), sed in nostra causa ut ad eundem animi habitum confugiamus nihil est quod commendet.

2. Critias apud Aelianum V. H. X 13. Welckeri *Opuscul.* vol. I p. 6 et 79.

3. Alius generis Hieronymi libri *περὶ ποιητῶν* fuere, quorum unus

Hinc sumpta sunt haud dubie quae a Didymo referuntur (§. 9) de aurea corona ex Arce Athenarum furtim ablata sed mirabili Sophoclis quiete prodita et apud furem deprehensa, de praemio poetae dis carissimo dato et sacello in honorem Herculis proditoris ex ea pecunia a Sophocle aedificato. Ex rebus admirabilibus, quibus Hieronymus commentarios suos miscellos ad lectores delectandos potius quam docendos impleverat, unum hoc specimen transcribere Didymus operae pretium existimavit. Hieronymus enim varias narratiunculas sive rerum novitate sive turpitudine quadam legentium animos tenentes exposuerat, nulla veri cura memorabilia conquirens et ante non audita. Quod ne inique de hoc altero Didymi teste dictum videatur, duo fragmenta eiusdem operis ab Athenaeo servata huc recipere non alienum erit. Prius legimus XIII p. 557 E: *Ἱερώνυμος γοῦν ἐν ἱστορικοῖς ὑπομνήμασί φησιν οὕτως· Εἰπόντος Σοφοκλεῖ τινὸς ὅτι μισογύνης ἐστὶν Εὐριπίδης, Ἔν γε ταῖς τραγῳδίαις, ἔφη ὁ Σοφοκλῆς, ἐπεὶ ἔν γε τῇ κλίνῃ φιλογύνης.* Alterum ibidem p. 604 D sic habet: *καὶ Ἱερώνυμος δ' ὁ Ῥόδιος ἐν τοῖς ἱστορικοῖς ὑπομνήμασί φησιν, ὅτι Σοφοκλῆς εὐπρεπῆ παῖδα ἔξω τείχους ἀπήγαγε χρησόμενος αὐτῷ. ὁ μὲν οὖν παῖς τὸ ἴδιον ἱμάτιον ἐπὶ τῇ πόᾳ ὑπέστρωσε, τὴν δὲ τοῦ Σοφοκλέους χλανίδα περιεβάλοντο. μετ' οὖν τὴν ὁμιλίαν ὁ παῖς ἁρπάσας τὸ τοῦ Σοφοκλέους χλανίδιον ᾤχετο, καταλιπὼν τῷ Σοφοκλεῖ τὸ ἑαυτοῦ παιδικὸν ἱμάτιον. οἷα δὲ εἰκὸς διαλαληθέντος τοῦ συμβεβηκότος, Εὐριπίδης πυθόμενος καὶ ἐπιτωθάζων τὸ γεγονός, καὶ αὐτός ποτε ἔφη τούτῳ κεχρῆσθαι τῷ παιδί, ἀλλὰ μηδὲν προσθεῖναι, τὸν δὲ Σοφοκλέα διὰ τὴν ἀκολασίαν καταφρονηθῆναι. καὶ ὁ Σοφοκλῆς ἀκούσας ἐποίησεν εἰς αὐτὸν τοιοῦτον ἐπίγραμμα, χρησάμενος τῷ περὶ τοῦ Ἡλίου καὶ Βορέου λόγῳ, καὶ τὸ πρὸς μοιχείαν αὐτοῦ παραινιττόμενος,*

Ἥλιος ἦν, οὐ παῖς, Εὐριπίδη, ὅς με χλιαίνων
γυμνὸν ἐποίησεν, σοὶ δὲ φιλοῦνθ' ἑτέραν
Βορρᾶς ὡμίλησε. σὺ δ' οὐ σοφός, ὃς τὸν Ἔρωτα,
ἀλλοτρίαν σπείρων, λωποδύτην ἀπάγεις.

περὶ τραγῳδοποιῶν (v. Apostol. III 35, Arsen. 54, Suid. s. v. *Ἀναγυράσιος*), alius et quidem quintus *περὶ κιθαρῳδῶν* (cf. Athen. XIV p. 635 F) egit.

Res ipsa turpicula, sed lepide inventa et suaviter narrata est. Etiam epigramma Sophocli liberalius quam verius assignatum ab inventore fabulae (is nemo nisi Hieronymus videtur fuisse) haud dubie factum est et facete compositum. De fide historica in hoc narratore non magis serio cogitari potest, quam res a Waltero Scoto et Bulwero narratas et veris scite assimilatas pro veris habere solemus. Idem Hieronymus de bigamia Atheniensium quamvis ficta populiscitum et ipsum commenticium ex suis opibus deprompserat. Leg. Athen. XIII p. 556 A. Diogenes II 26. Luzacii *Lect. Att.* sect. II §. 23. Etiam de Pythagora idem incredibilium amator mira et inaudita tradidit, ut refert Diogenes VIII 21. Quanta penuria fuerit rerum ex vita Sophoclis vere traditarum, nemo melius quam hic Didymi testis et factum ex aliis etiam magis incredibilibus delectum ostendere potest.

Eadem aetate vel paulo post *Neanthes* Cyzicenus vixit, quem Suidas Philisci Milesii discipulum fuisse testatur. Philiscus ipse Isocratem audiverat eodem teste s. v. *Φιλίσκος*. Quibus indiciis fretus Clintonus anno 241 ante Christum floruisse Neanthem statuit. Huius scriptum *περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν* Stephanus Byzantius s. v. *Κραστὸς* laudavit, Diogenes ex eodem, sed non apposito libri nomine, hausit I 99 in vita Periandri, III 3 et 4 et 25 in Platone, VI 13 in Antisthene, IX 4 in Heraclito. Athenaeus III p. 111 D eius *Ἑλληνικῶν* librum secundum, VII p. 311 E librum tertium, et XIII p. 576 D *ἐν τῇ τρίτῃ καὶ τετάρτῃ τῶν Ἑλληνικῶν ἱστοριῶν* laudavit. Inde, ut videtur, scholiasta Aristophanis ad Equites 84 [1]) de extremis Themistocli fatis nova quaedam communicavit: nam pro corrupto nomine Cleanthis a Vossio (*de Histor. Graec.* p. 99 sive 136 ed. Westerm.) Neanthes vere in suam possessionem restitutus est. Et Neanthe auctore et Istro Didymus fabulam (nam fabula est, nihil amplius) de morte Sophoclis narravit (§. 11), secundum quam Callippides histrio ab opere agresti (*ἀπ' ἐργασίας*) ex agro Opuntio circa

1. Est in altera ad illum locum annotatione, atque haec ipsa a Didymo videtur esse. etiam in Euripidis scholiis Vaticanis Neanthes laudatur ad Troad. 89, et hoc scholium probabiliter ad Didymum referri potest.

Χόας Atheniensium profectus uvam Sophocli misisse fertur, cuius dum acinum nondum maturum hic conatur deglutire, propter nimiam senectutem intercluso spiritu exstinctus est. Callippides ex agro Opuntiorum venit, quod is fertilitate eximia [1]) aut bonas vites alere aut patria Callippidis esse creditus est. Sed non bene confictum est, quod histrio circa *Χόας* Athenas venisse ac simul *ἀπ' ἐργασίας* uvam secum tulisse dicitur. Nimirum *Χόες* alter dies festus est *τῶν Ἀνθεστηρίων*, duodecimo die mensis Anthesterionis, h. e. sub finem nostri mensis Februarii, celebrari solitus, quo tempore amphorae aperiebantur novumque vinum gustabatur, sed uvae neque decerpi neque ad gustandum mitti poterant. Cuius rei incuriosus fuit qui primus hanc fabulam excogitavit. Antiquissimus qui hanc rem tanquam in facto positam protulit Sotades nobis cognitus est apud Stobaeum in *Florilegio* tit. 96 (98): *Σοφοκλῆς ῥᾶγα φαγὼν σταφυλῆς πνιγεὶς τέθνηκεν.* Conf. Pseudo-Lucianus in Macrob. 24.

Sequitur *Ister* Cyrenaeus, grammaticus et rerum memorabilium scriptor, Callimachi *δοῦλος καὶ γνώριμος*, auctor operis quod modo *Ἀττικά*, modo *Ἀτθίδες*, nunc *Ἀττικαὶ συναγωγαί* vel *συναγωγὴ τῆς Ἀτθίδος*, nunc *Ἄτακτα* inscriptum memoratur. Harpocrat. s. v. *ἐπενεγκεῖν δόρυ* et *τραπεζοφόρος* et *Κοιρωνίδαι*, etiam *Ἀνθεστηριών, Θεοίνια, ὀσχοφόροι, Παιανιεῖς, τριτομηνίς.* Athenaeus XIII p. 557 A *τὴν τεσσαρεσκαιδεκάτην τῶν Ἀττικῶν* Istri laudat, Apostolius XIV 40 *τὴν δωδεκάτην τῆς Συναγωγῆς*, Harpocratio (s. v. *τραπεζοφόρος*) *ἑκτὴν καὶ δεκάτην τῶν Ἀττικῶν συναγωγῶν.* Usus est hoc libro Diogenes Laertius II 59 in vita Xenophontis. Ex eodem sumpta sunt haud dubie quae Istro auctore in vita Sophoclis referuntur. Septies ad hunc Didymus provocavit, ac primum quidem patrem Sophoclis *μαχαιροποιὸν* fuisse Istro tradenti non concedendum esse pronuntiavit (§. 1). Ister aut illum *χαλκέα* Aristoxeni certius definire aut artem nimis ignobilem paulo illustrare videtur voluisse, in locum rudis fabri aerarii cultellorum vel gladiorum opifice substituto. Alterum quod unus Ister narraverat (§. 2), Sophoclem Phliasium fuisse neque natum Athenis, id errore manifesto niti paulo ante vidimus

1. Strabo IX 4: *μεταξὺ δὲ Ὀποῦντος καὶ Κύνου πεδίον εὔδαιμον.*

p. 43). Idem tradidit (§. 4), Sophoclem et in certamine gymnico et musico coronam tulisse. Nimirum arte gymnica et musica cum corpora et animi iuveniles apud Graecos vulgo informarentur, his artibus etiam Sophoclem exercitatum esse recte Ister *coniecit:* nam coniectura est ex constante populi consuetudine ducta. Sed Ister amplius progressus hoc statuit, virum tam insignem etiam in his artibus vulgarem modum supergressum et hanc eius virtutem iusto praemio ornatam esse. Re vera de iuvenilibus exercitamentis Sophoclis nihil ad posteros traditum fuisse tam per se credibile est quam hinc colligi potest, quod ea res ad Istrum, non ad testem locupletiorem, veluti Aristoxenum, relata est. Quod Didymus adiungit, Sophoclem post victoriam Salaminiam epinicia cecinisse ac saltavisse, id quoque, ut videtur, et ipse et Athenaeus (I p. 20 F) Istro auctore narravere. Quartum ab Istro refertur (§. 6), *τὰς λευκὰς κρηπῖδας αὐτὸν ἐξευρηκέναι, ἃς ὑποδεσμεύονται οἵ τε χορευταὶ καὶ οἱ ὑποκριταί.* Quod inventum cum satis exile videatur, et cum gravi verbo *ἐξευρηκέναι* Ister usus sit, hanc rem ex ioculari comici alicuius dicto petitam esse coniecerim. Quod porro ex Istro refertur (§. 6), *καὶ πρὸς τὰς φύσεις αὐτῶν* (i. e. *τῶν ὑποκριτῶν*) *γράψαι τὰ δράματα*, fides eius rei apud auctorem esto. Histriones potius exsequi decebat quae Sophocles in certamen attulerat, et histriones Graeci satis volubiles erant, ut animorum habitus quamvis varios induere et exprimere possent. Quod subsequitur, item sumptum ex Istro, *ταῖς δὲ Μούσαις θίασον ἐκ τῶν πεπαιδευμένων συναγαγεῖν*, poeticum sermonem aperte redolet. Fortasse igitur tam hoc quam illud a poeta liberius fingente Ister accepit. Sextum Didymus Istrum testem laudavit in enarrando vitae fine Sophoclis (§. 11). Quem cum Ister eodem modo quo Neanthes evenisse dixerit, quin Neanthem ducem in hac re sibi elegerit, dubitari vix potest. Postremum Ister inaudivisse se ostenderat, Athenienses auctore Lysandro tulisse populiscitum, ut Sophocli quotannis sacrificium fieret (§. 13). Hoc sine dubio annumerandum illis est, quibus rerum memorabilium narratores virorum insignium memoriam benignius quam verius celebrare operam dederunt. Nunquam vero is furor Athenienses agitavit, minime

iis temporibus quibus Sophocles decessit, ut poetis caelestes honores publice decernerent. Hoc unum satis est ut de Istro, praecipuo Didymi teste et auctore, eiusque fide inique sentiamus: cetera autem quae ex eodem fonte hausta sunt, huic omnino consentanea sunt.

Aristophanem Byzantium, Callimachi et Zenodoti discipulum, qui circa annum ante Christum ducentesimum floruit, testem Didymus adhibuit in numero fabularum a Sophocle editarum definiendo (§. 14). Hanc notitiam debuit Aristophanis libro cui nomen *πρὸς τοὺς Καλλιμάχου πίνακας*, laudato ab Athenaeo IX p. 408 F; conf. p. 410 B—C. Quod Didymus in hac re ad testimonium Aristophanis provocavit, discere inde possumus ex ingenti fabularum Sophoclis numero (104 fuere) Didymi temporibus aliquot iam desideratas esse. Idem in fabulis Euripidis tunc acciderat, ut ex vita eius (§. 8) apparet.

Quo auctore vicies in certaminibus tragicis vicisse Sophocles dicitur (§. 7), *Carystius* est Pergamenus, ut primus vidit Casaubonus ad Athenaeum VI p. 235 E, ubi scriptum eius *περὶ διδασκαλιῶν* ab Athenaeo commemoratur. Hinc Didymus sua sumpsit. Carystius fere temporibus Eumenis I. Pergami regis et grammatici argumenti opus modo consignatum scripsit et *commentarios historicos* ab Athenaeo saepe laudatos ac *vitam Sotadis* (Athen. XIV p. 620 F) composuit. Filium Sotadis perperam fecit Carystium Wegener *de Aula Attalica* p. 186.

Carystio aetate minor Satyrus peripateticus fuit, aequalis Aristarchi. Phot. Bibl. cod. 190 p. 151 B 21 ed. Bekkerianae: *Σάτυρος δ' ὁ Ἀριστάρχου γνώριμος Ζῆτα ἐκαλεῖτο διὰ τὸ ζητητικόν* [1]). Relictis ceteris Satyri operibus, ego *βίους* ab eo conscriptos et a Didymo in vita Sophoclis inspectos hoc loco respiciam. Hos praeter Hieronymum, cuius verba supra pag. 46 collocavi, memoravit Diogenes Laertius, *Σάτυρος ἐν τοῖς βίοις* II 12, VIII 53 et 58, *Σάτυρος ἐν τῷ τετάρτῳ τῶν βίων* VI 80; conf. I 68 et 82, II 26, VIII 59 et 60. Eiusdem *βίους* Athenaeus nominat VI p. 250 F, XII 541 C, XIII 584 A, *Φιλίππου βίον*

1 Hoc attinet ad amorem et studium *τῶν ἀποριῶν* et *λύσεων*. v. Lehrsii de *Aristarchi stud. Homer.* p. 220.

VI 248 D et F, XIII 557 C—E. Indidem excerpta sunt quae Athenaeus XII p. 534 de varia vita Alcibiadis servavit. Satyrus unus erat ex iis qui bigamiam Socratis sive ementiti erant sive errore decepti tradiderant. Athenaeus XIII p. 556 A: εἰσὶ δὲ Καλλισθένης, Δημήτριος ὁ Φαληρεύς, Σάτυρος ὁ περιπατητικός, Ἀριστόξενος. Diogenes II 26. Conf. Luzacii *Lectiones Att.* sect. II §. 13—17. Primum quod ex Satyri vita Sophoclis in suam Didymus recepit, illud est inventum apparatus scenici, quo Sophocles senes et imbecillos homines incurvo baculo innisos dicitur ostendisse (§. 6): Σάτυρος δέ φησιν ὅτι καὶ τὴν καμπύλην βακτηρίαν αὐτὸς ἐπενόησεν. Res tam minuta est et secundaria, verbum autem tam grave (ἐπενόησεν), ut ipsum inventum ex ioco poetae cuiusdam comici detortum esse coniiciam. Simile illud est, quod de caligis candidis a Sophocle repertis Ister narravit. Satyrum iterum Didymus produxit ubi iudicium, in quod Sophocles a filio Iophonte inductus esse fertur, enarravit (§. 10). In hac re probe tenendum, quod ea iudicii forma, de qua usque ad Σάτυρος δέ φησιν αὐτὸν εἰπεῖν, cum ex alio fonte ducta est, tum recitationem Oedipi Colonei non admittit. Conf. p. 43. Hinc probabiliter consequitur Oedipum in illo iudicio recitatam a Satyro suavi narratiunculae additam esse. Didymus enim ex testibus praelectionem exhibentibus eum citavit, quem primum et antiquissimum offenderat [1]. Fortasse idem Satyrus pro φράτορσι (*curialibus*) *iudices* primus substituit. *Iudices* enim et *Oedipum Coloneum* apud omnes auctores invenimus, qui post Satyrum huius rei mentionem iniecere, Cicero *Catone maiore* c. 7, Plutarchus ubi quaerit *an seni gerenda res publica* c. 3, Lucianus personatus in *Longaevis* c. 24, Apuleius in *Apologia* c. 37. Unus ex his Plutarchus, sentiens quam inepta totius ac longae tragoediae recitatio coram iudicibus esset, pro toto carmine παρόδου canticum posuit probabilia secutus: Σοφοκλῆς δὲ λέγεται μὲν

1. Didymi temporibus hanc rem iam varie celebratam et exornatam fuisse, ex his verbis eius videre licet: φαίνεται δὲ καὶ παρὰ πολλοῖς ἡ πρὸς τὸν υἱὸν Ἰοφῶντα γενομένη αὐτῷ δίκη ποτέ. desipientiae mentio ex Satyro facta et Oedipus ibidem recitata arguit, apud Satyrum similem fuisse narrationis formam, ut apud Ciceronem, nisi quod Satyrus unum *Iophontem* accusationis auctorem exhibuit, non *filios* Sophoclis.

ὑπὸ τῶν υἱῶν [1]) παρανοίας δίκην φεύγων τὴν ἐν Οἰδίποδι τῷ ἐπὶ Κολωνῷ πάροδον, ἧ ἐστὶν ἀρχὴ "εὐίππου (v. 668 sqq.), ξένε, τᾶσδε χώρας", ἀναγνῶναι. θαυμαστοῦ δὲ τοῦ μέλους φανέντος, ὥσπερ ἐκ θεάτρου τοῦ δικαστηρίου προπεμφθῆναι μετὰ κρότου καὶ βοῆς τῶν παρόντων. Adeo res ex fabula Leuconis primum detorta progressu temporis immutata et addita Oedipi Colonei recitatione aucta, mox incredibilibus remotis ad probabiliorem rationem castigata est, cui qui etiam nunc fidem habituri sunt tanquam rei vere factae, eos ad Walteros nostros et Bulweros ablegabimus, ut ex fontibus largissime fluentibus historiam augere sibi possint. Tertium Didymus ad Satyrum recurrere voluit, ubi fabellam de morte Sophoclis ex Antigona recitata consecutam exposuit (§. 11). Quae illic de Antigonae tragoediae νοήματι μακρῷ καὶ μέσην ἢ καὶ ὑποστιγμὴν πρὸς ἀνάπαυσιν μὴ ἔχοντι ex Satyro proferuntur, tam portentosa sunt, ut mirabilium narratori conveniant, a severo rerum scriptore prorsus aliena videantur. Antigonam posuit, quia hanc fabulam novissime ab Sophocle scriptam esse inaudiverat, de quo mox dicemus.

In testibus diligenter a Didymo laudatis haud comparere eum, qui primus omnium de Sophocle scripsit, mirari subeat, dico *Ionem Chium:* is enim in Ἐπιδημίαις plura scituque non indigna de Sophocle praetore Lesbum adituro et in eo itinere ad Chium insulam appellente protulisse dicitur. Lege Athenaeum XIII p. 603 E — 604 D, collatis III 93 A et 107 A. Ex eodem libro est, quod de *Socrate* iuvene Samum peregrinante Diogenes Laertius II 23 scripsit: φησὶ αὐτὸν Ἴων ὁ Χῖος καὶ νέον ὄντα εἰς Σάμον σὺν Ἀρχελάῳ ἀποδημῆσαι. Neque diversus fuit Συνεκδημητικὸς a Polluce II 88 commemoratus: παρὰ Δίωνι δὲ (παρὰ δ' Ἴωνι) τῷ τραγικῷ ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Συνεκδημητικῷ καὶ σπανοπώγων τις ὀνομάζεται. Sed hoc opusculum pedestri

1. In *filiorum* commemoratione Plutarchus et Cicero consentiunt, *filium* Apuleius (*cum accusaretur a filio suomet dementiae*), *Iophontem* Lucianus exhibuit. cum primum aemulatio ista, quae ex nimio Sophoclis in nepotem suum amore in animo Iophontis excitata ferebatur, in mutata narratiunculae forma missa est, filiorum potius quam unius filii commemorationem res ipsa obtulit.

sermone conscriptum suppositicium esse criticis Alexandrinis affirmantibus Didymus, ut videtur, credidit ideoque cavendum ab eo sibi putavit. Certe in annotatione ad Pacem Aristophanis 835 (830), quae ex ipso Didymo me iudice excerpta est, haec legimus: *Ἴων ὁ Χῖος: διθυράμβων καὶ τραγῳδίας καὶ μελῶν ποιητής. . . . ἔγραψε δὲ καὶ κωμῳδίας καὶ ἐπιγράμματα καὶ παιᾶνας καὶ ὕμνους καὶ σκόλια καὶ ἐλεγεῖα, καὶ καταλογάδην τὸν πρεσβευτικὸν λεγόμενον, ὃν νόθον ἀξιοῦσί τινες εἶναι, οὐχὶ αὐτοῦ* (*οὐχὶ αὐτοῦ* scholiasta Didymi verbis videtur attexuisse). Variis illis nominibus *τῶν Ἐπιδημιῶν*, *τοῦ Συνεκδημητικοῦ*, *τοῦ Πρεσβευτικοῦ* eundem librum vel potius eiusdem operis partes denotari manifestum est. *Ἐπιδημίαι* (*Besuche*, *Verweilen*) nominabantur, quod adventus hospitum et commoratio eorum exponebantur; *Πρεσβευτικοῦ* (*λόγου*) nomen indicat legatorum officio illos, de quibus in hac parte operis sermo, perfunctos esse; *Συνεκδημητικὸς* autem hoc videtur significare, egisse hunc librum de comite aliquo itineris, fortasse de Socrate comitante Archelaum ad Samios proficiscentem. Quod quamvis ad liquidum perduci nequeat, hoc tamen in aperto est, idem opus ab Athenaeo et scholiasta Aristophanis, Diogene et Polluce respici. Vere autem iudicasse illos qui hunc librum Ioni Chio suppositum esse pronuntiaverunt, ostendere conatus sum, cum scripsi *de praetura Sophoclis quae fertur*, in Museo Rhen. a. 1842. p. 190 sq. Illi sententiae novum firmamentum hinc accedit, quod de Socrate, qui post Ionem viginti duos annos etiam in vivis fuit, eiusque itinere Samio in illo opere expositum erat. Quod cum per se mirum videatur, Ionem egisse de homine se tanto minore natu, idem mirabilius apparet, quod Socratem nunquam peregrinatum esse constat. Lege Critonem Platonis p. 52 B: *οὔτ' ἐπὶ θεωρίαν πώποτε ἐκ τῆς πόλεως ἐξῆλθες, ὅτι μὴ ἅπαξ εἰς Ἰσθμόν, οὔτε ἄλλοσε οὐδαμόσε, εἰ μή ποι στρατευσόμενος, οὔτε ἄλλην ἐποιήσω ἀποδημίαν πώποτε, ὥσπερ οἱ ἄλλοι ἄνθρωποι.* Conf. Phaedrus p. 230 D, Meno p. 80 B. Narratiuncula igitur tam incredibilis de Samio itinere Socratis ab auctore serius sua conscribente componi potuit, ab eo qui aequalis et maior natu exspectari nequit. Quae cum ita sint, hoc ipsum non

leve *νοθείας* argumentum est, quod *'Επιδημίαι* in vita Sophoclia ab hoc nostro plane neglectae sunt. Item de *Τριαγμῷ* vel *Τριαγμοῖς* tanquam vero Ionis opere dubitatum fuisse Callimachus testatus est. Vid. Harpocrat. s. v. *Ἴων*. Neque sine iustis causis de hoc libro dubitatum esse facile cognoscitur ex iis, quae collegit Lobeckius *Aglaopham.* t. I p. 384. In scriptis ad Ionem relatis plura fuisse supposilicia etiam hinc coniicere licet, quod elogium eius de Euripide apud Macedones exstincto circumfertur (Antholog. VII 43), quamvis Euripides diu post Ionem demum mortuus sit. Sed prae ceteris valeant quaecunque *sermone pedestri* ab Ione tragico scripta memorantur.

Postremo Aristophanem comicum testem Didymus laudavit, ubi virtutem tragicam Sophoclis descripsit (§. 17): *φησὶν οὖν 'Αριστοφάνης ὅτι "Καιρὸς ἐπεκαθέζετο", ἄλλοτε δὲ "Σοφοκλέους, τοῦ μέλιτι τὸ στόμα κεχρισμένου"*. Nimirum cum proxime ante celebravisset in Sophocle *εὐκαιρίαν γλυκυτάτην* et hanc aliquo auctore comprobaturus esset, ad firmandam facultatem qua nonnisi apta et opportuna Sophocles protulisse dicitur, Aristophanis dictum illud posuit, quo Opportunitatem assedisse Sophocli facete pronuntiatum erat [1]. Relicuum erat ut *γλυκυτάτην* fuisse Sophoclis *εὐκαιρίαν* Didymus teste quodam ostenderet. Itaque pergit secundum libros manu scriptos *ἄλλοι δὲ Σοφοκλέους, τοῦ μέλιτι τὸ στόμα κεχρισμένου.* Sed in his desideratur iusta structura verborum et gravius etiam vitium latet. Etenim haecne ab alio quam ab Aristophane dicta putemus? Immo locuples testis adest qui contrarium testatur, Dio Prusaeus dissert. 53 tom. II p. 273 ed. Reiskianae, disputans de Philocteta Sophoclis: *τά τε μέλη οὐκ ἔχει πολὺ τὸ γνωμικὸν οὐδὲ τὴν πρὸς ἀρετὴν παράκλησιν, ὥσπερ τὰ τοῦ Εὐριπίδου, ἡδονὴν δὲ θαυμαστὴν καὶ μεγαλοπρέπειαν, ὥστε μὴ εἰκῇ τοιαῦτα περὶ αὐτοῦ τὸν 'Αριστοφάνην εἰρηκέναι·*

1. In Aristophanis verbis *Καιρὸς* pro vulgato *κηρὸς* vere correxit Westermannus in *Annalibus philolog. et paedag.* Lips. 1843 tom. 9. supplem. p. 517. Thomas Magister eum locum licenter interpolavit ut evaderet hoc *κηρὸς ἐπεκαθέζετο τοῖς χείλεσιν αὐτοῦ*, ad quam sententiae formam inductus est noto illo Eupolidis de Periclis eloquentia versu, *Πειθώ τις ἐπεκάθιζεν ἐπὶ τοῖς χείλεσιν.*

Ὁ δ' αὖ Σοφοκλέους, τοῦ μέλιτι κεχρισμένου,
Ὥσπερ καδίσκου περιέλειχε τὸ στόμα.

Itaque Didymum, cum verba Aristophanis fideliter conservaverit, verus auctor fugere non potuit. Scribendum igitur est ἄλλοτε δὲ pro ἄλλοι δὲ, h. e. *alias dicit Aristophanes,* vel ἄλλῃ δὲ cum Westermanno l. c. reponendum. Ceterum memorabile hoc exemplum est, unde discere possumus qua festinatione Didymus veterum testimonia conscripserit: omisit enim quae ad sententiam recte intelligendam utique necessaria erant. Quibus omissis, τὸ στόμα suspensum fecit ex μέλιτι κεχρισμένου, et genitivum Σοφοκλέους sine regimine reliquit.

III.

Aestimatio vitae Sophoclis.

Quae de fontibus vitae Sophoclis dicta sunt, inde sponte consequitur testibus admodum infidis Didymum usum esse. Atque hoc praecipue in Istro valet levi scriptore, cui cum in aliis rebus [1], tum in Sophoclis vita mira et incredibilia tribuuntur, valet etiam in Hieronymo et Satyro. De fide Hieronymi, Satyri, Aristoxeni Ioannes Luzacius docte exposuit in Lectionibus Atticis (sect. II §. 13—29), ibique probatum ivit, ad maledicendum et calumniandum eos inclinavisse, interdum malitiose egisse atque mendacia scriptis suis inseruisse. Luzacius haec vere pronuntiavit de commentis istis, quae illi auctores de bigamia Socratis aliisque eius vitiis ementiti sunt: huic enim mirifice

1. Lege scholiastam Homeri Il. *K* 439: *τεύχεα, ὅπλα· εἰρῆσθαι δὲ αὐτὰ Ἴστρος φησὶ παρὰ τὸ Εὐτευχίῳ τῷ Εὐβοϊκῷ κατεσκευάσθαι πρῶτον ὑπὸ Κυκλώπων.* *T* 119: *Ἴστρος δέ φησιν ὠδινούσης Ἀλκμήνης τὰς χεῖρας συνέχειν τὰς Μοίρας, γαλῆς δὲ παρελθούσης ἀπολῦσαι, καὶ τεχθέντος αὐτοῦ νομισθῆναι γαλῆν εἶναι αὐτῷ τροφόν.* cf. *Ψ* 783. schol. Aristoph. Nub. 967 (971): *ὁ δὲ Ἴστρος Ἱέρωνος αὐτὸν (τὸν Φρῦνιν) φησὶ μάγειρον ὄντα σὺν ἄλλοις δοθῆναι τῷ Ἀριστοκλείῳ. ταῦτα δὲ σχεδιάσαι ἔοικεν κτλ.* schol. Apollonii Rhodii II 207. Annotat. ad *Vit. Soph.* §. 1.

obtrectaverunt. Sed similis fingendi causa in Sophocle nulla ipsis aderat. Immo in huius vita ob inopiam rerum vere traditarum mendacis famae vestigia secuti sūnt, nonnulla quaestionibus eruta suis ipsi in medium protulerunt, quibus verae historiae defectum compensare studebant. Sic factum est, ut Satyrus, cum Leuco Sophoclem ab Iophonte ad *φράτορας* adduci ibique ob amorem Theoridis et Sophoclis iunioris accusari ioculari contentione fecisset, adhibito *ζητήσεως* artificio, quo prae ceteris eximius erat, certamen iudiciale, graves quasdam sententias, postremum Oedipi novissimae fabulae recitationem ex ludicro certamine procuderet. Conf. quae disputata sunt pag. 43 et 53. Illustre vero exemplum, quanta libidine illi memorabilium amatores in exornandis aut mutandis tenuibus rerum vestigiis grassati sint, variae de morte Sophoclis narrationes suppeditant. Quippe omnes emanarunt aut ex elogio a Simonide, non filio Leoprepis sed poeta iuniore, in Sophoclem conscripta (Anthol. VII 20), ut Lessingius [1] existimavit,

> Ἐσβέσθης, γηραιὲ Σοφόκλεες ἄνθος ἀοιδῶν,
> οἰνωπὸν Βάκχου βότρυν ἐρεπτόμενος,

aut ex fama de fine Sophoclis allegorice composita et a Simonide versibus concepta. Quemadmodum Aristophanes a Baccho se nutritum esse, h. e. poesis scenicae facultate praeditum, gloriatus est (Nub. 519 *νὴ τὸν Διόνυσον τὸν ἐκθρέψαντά με*), sic exstingui *οἰνωπὸν Βάκχου βότρυν ἐρεπτόμενος* (*carpens*) is dicitur qui ad extremum vitae finem Bacchi donis gaudet, h. e. bono successu fabulas componit, id quod Sophocli re vera contigisse accepimus. Hoc non allegorice sed proprie dictum interiecto aliquo tempore acceperunt praeter Sotadem Maronitam Neanthes et Ister, iique suis quibusdam ornamentis adiunctis aut ex fama crescente assumptis istam narrationem concinnaverunt, quam Didymus servavit (§. 11), quamque plane commenticiam

1. Lege *de Anthologia Graeca* commentationem in Lessingii Operibus tom. VIII pag. 518 ed. Lachm. Ferd. Schultzii *Comment. de vita Sophoclis poetae* p. 152. ego a Lessingio ita discedo, ut non victoriam scenicam mortis causam designari statuam, sed ut facultatem poeticam usque ad extremum vitae momentum a fautore Baccho concessam esse Sophocli aut Simonides dixerit aut fama quam ipse secutus est.

esse supra p. 49 vidimus. Satyrus autem eam rem hactenus transformavit, ut suffocationem teneret, hanc tamen non ex uva immatura, sed ex recitatione Antigonae consecutam esse narraret. Scilicet et memorabile visum est et venerando vate dignum in hunc modum ex vita decedere. Fabulam certe esse ex ipso narratiunculae argumento manifestum est. Quod cum aliis, quorum nomina Didymus taceri voluit, nimis incredibile videretur, hi probabilia secuti memoriae prodiderunt, gaudium poetae ob victoriam sibi post *recitationem Antigonae* (*μετὰ τὴν τοῦ δράματος ἀνάγνωσιν*) decretam mortis causam fuisse. Hic quoque fabulosa omnia Atticisque institutis male convenientia, et recitatio et recitationis iudices et victoria recitanti delata. Non magis vera sunt quae de sepultura Sophoclis, Satyro ut videtur auctore, sequuntur (§. 13), id quod in annotatione ostensum est.

Quae cum ita sint, deinceps explicandum videtur, quibus causis tanta rerum vere traditarum inopia obtinuerit. Cum Sophocles animam exspiravit, quod accidit Olymp. 93 3, res publica Atheniensium magnis difficultatibus circumventa caput ex undis minaciter ingruentibus erigere vix potuit. Clades ad Aegos flumen non multo post secuta (Olymp. 93 4) extremas miserae civitatis vires obtrivit; consecuta est ipsius urbis obsessio, mox deditio (Olymp. 94 1). Iam nova calamitas saevo imperio triginta virorum; insignes viri necati aut pulsi. In his malis virorum ingenio litterisque excellentium amor et cura civium suorum animis facile excidit. Etiam Sophoclis memoria, quamvis Aristophanis Ranarum fabula et Musis Phrynichi paulo post vitae finem concelebrata, mox delituit. Vitas virorum ingenio illustrium scribere nondum moris fuit. Sic evenit, ut post unius hominis aetatem de vita Sophoclis non multum constaret. Quamdiu praestantissimi tragoediarum scriptores Athenis certatim fabulas ad committendum afferebant, qui victores declarati publice erant, magna quidem in fama versabantur, sed peractis festis diebus ad alia negotia populus inquietus se convertit. Dimidio autem saeculo post quam Sophocles decessit, alia ratio obtinuit. Poetae quidam tragici etiam tunc fuere, sed qui ad gloriam Aeschyli et Sophoclis et Euripidis aspirare posset, nemo exortus est.

Iam oculi hominum ad tres tragoediae principes conversi sunt, iam horum fabulas prae ceteris suspicere et curare coeperunt. Non mirum igitur quod Lycurgus orator populiscitum tulit (id accidit inter annum 340 et 330), ut aeneae statuae Aeschylo, Sophocli, Euripidi ponerentur, ut tragoediae eorum publice descriptae servarentur, ut id exemplum a scriba civitatis exigeretur et probaretur. Pseudo-Plutarchus (*Vit. X Oratorum* in Lycurgo p. 441 F): *χαλκᾶς εἰκόνας ἀναθεῖναι τῶν ποιητῶν Αἰσχύλου, Σοφοκλέους, Εὐριπίδου, καὶ τὰς τραγῳδίας αὐτῶν ἐν κοινῷ γραψαμένους φυλάττειν καὶ τὸν τῆς πόλεως γραμματέα παραγινώσκειν.* Sic desiderium excitatum est noscendi mores et vitam eorum, quorum opera tam eximie colebantur. Cui desiderio cum in Sophocle, fortasse etiam in Aeschylo et Euripide, satisfacere vellet Aristoxenus, circumspicienti admodum pauca ad tradendum supererant, atque haec ipsa fama incerta circumferebantur. Ex monumentis didascalicis iam eo tempore, quo Aristoteles titulos eorum primus descripsit et in *διδασκαλιῶν* corpus quoddam coegit, permulta intercidisse, hoc non modo per se verisimile est, sed etiam inde colligitur, quod nemo grammaticorum eum annum *ex didascaliis* consignatum reliquit, quo Sophocles Aeschylum vicisse dicitur, quod Aristophanes Byzantius in suo ad Sophoclis Antigonam argumento de anno fabulae huius in scenam datae et dubitanter locutus est et falsam aliorum coniecturam protulit [1]). Tituli tamen ex publicis monumentis ab

1. Argum. Antig. Aristophanis: *φασὶ δὲ τὸν Σοφοκλέα ἠξιῶσθαι τῆς ἐν Σάμῳ στρατηγίας, εὐδοκιμήσαντα ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῆς Ἀντιγόνης.* famae ab Aristophane commemoratae nihil tribuendum esse alia ac certiora indicia ostendunt, quae hac occasione collegisse iuvat. etenim paulo ante cognovimus narrationem Satyri de morte Sophoclis ex Antigonae *recitatione* consecuta, aliosque tradidisse legimus, de victoria post Antigonae *recitationem* sibi decreta nimis laetum Sophoclem decessisse. hos et Satyrum de nova fabula non cogitasse, sed de secunda editione, id quod ab aliis coniectura statui video, nihil est quod arguat. immo *recitationem* in verbis suis posuerunt, quia hanc fabulam in scenam ab sene poeta iam non commissam esse sive crediderunt sive a maioribus acceperunt, perinde ac de *recitatione* Oedipi Colonei, non de *διδασκαλίᾳ*, referri vidimus. nimirum hanc quoque Sophocles non ipse in scenam tulit, sed iuniori Sophocli docendam reliquit, isque quattuor annis post mortem auctoris eam fabulam dedit. v. argumentum Oed. Col. *ἐπὶ τετελευτηκότι τῷ πάππῳ Σοφοκλῆς ὁ υἱδοῦς ἐδίδαξεν, υἱὸς ὢν Ἀρίστωνος, ἐπὶ ἄρχοντος Μίκωνος, ὅς τέταρτος ἀπὸ Καλλίου, ἐφ' οὗ φασὶν οἱ πλείους τὸν Σοφοκλέα*

Aristotele descripti, dein ioci poetarum aequalium comoediae antiquae, postremo fama non satis fida per hominum ora vulgata Aristoxeno unam materiam vitae Sophocliae suppeditaverunt. Aristoxenum igitur paucis quibusdam notationibus contentum fuisse hinc ego existimo, quod Didymus ad tam antiquum satisque ce-

τελευτῆσαι. simile aliquid in Antigona accidit: nam opinio fuit hanc non a Sophocle, sed a filio eius Iophonte factam esse, de qua ex Dindorfii Antigona Parisiis 1836 emissa sic accepimus: *Λουκίλλου Ταρραίου· πολλὰ νοθευόμενά ἐστιν, ὡς ἡ Σοφοκλέους Ἀντιγόνη· λέγεται γὰρ εἶναι Ἰοφῶντος τοῦ υἱοῦ.* Crameri *Anecdota Gr.* t. IV p. 315: *πολλὰ γὰρ νοθευόμενά ἐστιν, ὡς ἡ Σοφοκλέους Ἀντιγόνη· λέγεται γὰρ εἶναι Ἀντιφῶντος* (lege *Ἰοφῶντος*) *τοῦ Σοφοκλέους υἱοῦ.* unde sententia tam mirabilis orta est? nempe in Didascaliis Antigona Sophoclis nulla consignata erat, propterea quod ab ipso non data, sed postremis vitae diebus simul cum Oedipo Coloneo composita erat et absoluta. iam quemadmodum iunior Sophocles Oedipum docuit sibi ab illustri auctore relictam, ita Iophon Antigonam ad spectandum nondum oblatum in scenam videtur attulisse et suo nomine docuisse. quibus argumentis Antigona non ad expeditionem Samiam sive Olympiadem 84 4, sed ad Olympiadem 93 3 admovetur. idem persuasum sibi habuit scholiasta Euripidis (Didymus, ut videtur), dum scribit ad versum Phoenissarum 1651 *ἐγώ σφε θάψω, κἂν ἀπεννέπῃ πόλις διὰ μὲν τοῦ "ἐγώ σφε θάψω" σπέρματα τῇ Σοφοκλέους Ἀντιγόνῃ παρέσχε:* nam Phoenissae Euripidis in postremis eius fabulis numerantur a scholiasta Aristophanis (Didymo) ad Ranas (53), et Euripides eodem anno quo Sophocles mortem obiit. eodem nos ducunt argumenta ex ipsa fabula petenda. nimirum in Antigona trimetrum offendimus, cuius ultima vocalis elisa est, v. 1031 (1018)

Εὖ σοι φρονήσας εὖ λέγω· τὸ μανθάνειν δ'
Ἥδιστον εὖ λέγοντος, εἰ κέρδος λέγοι.

atqui hanc licentiam in Oedipo Rege, h. e. in tragoedia aliquanto post initium belli Peloponnesiaci scripta, primum Sophocles usurpavit, si verum est quod narravit Clearchus Solensis apud Athenaeum VII p. 276 et Athenaeus X p. 453 E. ac sane verum id videtur: certe in Oedipo quinquies hac venia usus est (v. 29. 332. 785. 1184. 1224), in Electra semel (1017), in Oedipo Coloneo bis (16 et 1164), id est in fabulis quas senex poeta composuit, tandem in Antigonae versu supra scripto: nullum eiusmodi exemplum apud Aeschylum est, nullum Euripides praebet nisi unum in tragoedia sero scripta, in Iphigenia Tauricensi 968, nullum Sophocles in ceteris suis fabulis. itaque hoc signo saltem ultra Olympiadem 87 Antigona redigitur. cui bene convenit, quod Sophocles in versibus Antigonae 909—914 (900—905 ed. Herm.) Herodoti narrationem (III 119) de uxore Intaphernis fratrem marito liberisque praeferente aperte respexit et ita expressit, ut verba rerum scriptoris tantummodo in poeticum sermonem convertantur. Herodoti vero historia Thuriis conscripta ibique non ante primos belli Peloponnesiaci annos absoluta, in Graeciam autem aliquanto post translata est et divulgata. prae tam luculentis indiciis in aeternum valeat incertum illud et vagum Aristophanis Byzantii *φασί* et opinio de Antigona ante expeditionem Samiam facta et commissa. fortasse Boeckhius, qui praeturam Sophocli denegari aegre tulit (in *Antigona* sua p. 121 annot. 2), nunc in hac primaria quaestionis illius parte minus mihi refragabitur.

lebrem auctorem nonnisi bis provocavit, dum Istrum septem locis testem producit. Aristoxenum qui secuti sunt vitarum narratores et rerum memorabilium scriptores, ad ea quae tradita ab hoc erant nova nonnulla, sed aut excogitata ab ipsis aut ex fama sparsa a poetis comicis recepta, adiecerunt. Ex his Didymus elegit et sua ratione concinnavit atque exornavit, quae ipsi vera aut verisimilia visa sunt.

IV.

De Didymo vitarum scriptore.

Posteaquam vidimus quid pretii vitae Thucydidis et Sophoclis tribuendum videatur, iam non difficile erit definire, qua ratione et quo successu Didymus vitas veterum scriptorum enarrare solitus sit. Quippe diligenter ille circumspexit quae ab aliis tradita essent, atque ex singulis auctoribus recepit quae vera sibi aut verisimilia videbantur. Interdum dicta testium invertit, sua ratiocinandi facultate nimium fretus et confisus, atque in omnibus anquirens et secutus τὰ εἰκότα. Sic in vita Sophoclis ex pluribus incredibilibus, quae apud Hieronymum Rhodium collecta repperit, cetera nimis a verisimilitudine abhorrentia silentio transmisit, unum tamen illud de corona aurea, ex arce surrepta sed somnio et indicio Sophoclis prodita, vel ab infido teste accipiendum duxit, quia haec res fieri *potuisse* videbatur. Ut rebus a se traditis probabilitatem quandam conciliaret, coniecturas incertas ita confidenter proposuit, ut dubitationi vix locum concederet; sic egit in exploranda Thucydidis origine, sic ubi vitae finem Thucydidis exposuit. Testium suorum fidem explorare nescivit, atque haec diligentia festinantem nimium tardatura erat. Multos et varios producere quam locupletes eligere potius ei visum est. Hinc ubi egit de Iophontis in Sophoclem patrem et Sophoclem iuniorem invidia, primum quaedam ex poetae comici (*Leuconis*) ludicra coram φράτορσιν contentione

derivata, sed non accurate relata communicavit, dein narrationem longe discrepantem ex Satyro iusto brevius adscripsit. De morte Sophoclis et sepultura, de honoribus ei a populo decretis meras fabulas sive credulus sive nimium securus recepit et propagavit. Auctoribus tamen suis haud cunctanter oblocutus est, ubi tradiderunt quae non vera esse ratiocinando demonstrare se posse credidit. In rebus obscuris et parum compertis secutus est, quae probabilitatis speciem prae se ferebant. Hanc adeo amavit, ut etiam in priscis fabulis *τὰ εἰκότα* sectaretur et miracula explicando removere conaretur. Quae ratio eius qualis fuerit, tribus exemplis ostendam. Primum ex Crameri *Anecdotis Graecis Paris.* II p. 190 sumptum est: *Ἐν δὲ τοῖς χρόνοις τούτοις παρ' Ἕλλησιν ἱστορεῖται Περσεύς· ὃς ἐπὶ Πέρσας ἐστράτευσε, καὶ τὴν Γοργόνα ἐκαρατόμησε, κόρην εὔμορφον, διὰ τοῦ κάλλους ἐξιστῶσαν τοὺς θεατάς, ὡς ἀπολιποῦσθαι δοκεῖν, ὡς Δίδυμος ἱστορεῖ κατὰ τὴν ἑβδόμην, ἐν ᾗ καὶ παρατίθεται τὸν συγγραφέα ταύτης.* Ut miraculosa ex Medusae rebus amoliretur et veri speciem quamvis fallacem et vanam crearet, Medusam fuisse puellam formosam affirmavit, eaque conspecta homines adeo stupuisse, ut inanimes esse viderentur. Aliud eius artis specimen Lactantius suppeditat Instit. II 22 9: *Didymus in libris ἐξηγήσεως Πινδαρικῆς ait, Melissea Cretensium regem primum dis sacrificasse ac ritus novos sacrorumque pompas introduxisse. Huius duas fuisse filias, Amaltheam et Melissam, quae Iovem puerum caprino lacte et melle nutrierunt: unde poetica illa fabula originem sumpsit, advolasse apes atque os pueri melle complesse. Melissam vero a patre primam sacerdotem Matri magnae constitutam, unde adhuc eiusdem Matris antistites Melissae nuncupantur.* Quippe Iovem infantem ab advolantibus apibus nutritum esse, hoc nimis fabulosum Didymo videbatur. Quod ut amoveretur, antiquus iste rationalista miraculum in rem verae similem convertit. Eodem redeunt quae scholiasta Euripidis Andromachae v. 867 *ὄνομα δ' Ὀρέστης* annotavit: *ἐκβληθεὶς τοῦ Ἄργους ὁ Ὀρέστης ἀπῄει εἰς τὸ ἱερὸν τοῦ Διὸς τὸ ἐν Δωδώνῃ μαντευσόμενος, ποίαν οἰκήσει πόλιν. ἀπιὼν οὖν ἔρχεται εἰς τὴν Φθίαν. Δίδυμος δὲ ταῦτά φησιν εἶναι ψευδῆ*

καὶ ἄπιστα. Ubi autem *sex Apollines* fuisse Didymus ostendit, hoc videtur egisse, ut eos nihil nisi claros homines ad sententiam Euemeri fuisse probaret. Vid. Clementis Alexandr. *Cohort.* p. 17 ed. Sylb.

QUAESTIO TERTIA DE VITA AESCHYLI.

I.

De vita Aeschyli Didymo, ut videtur, tribuenda.

Quis Aeschyli vitam Graecam conscripserit, quamvis neque certo me scire neque liquido demonstrare posse profitear, tamen, si coniecturae locus concedatur et quod verisimile est admittatur, etiam hanc ex commentariis Didymi excerptam sed aliquotiens in brevius coactam esse docere posse mihi videor. Cur autem cogitatio ad Didymum delata sit, iam exponentem, lector, audire me velis benigne.

Eratosthenes loco quodam memorabili Ranarum Aristophanis ad hanc inductus est opinionem et coniecturam, ut crederet Aeschyli Persas, quos ipse manibus versabat quique cum nostris consentiebant, diversos fuisse ab ea fabula quam Aeschylus olim Atheniensibus suis spectandam praebuisset. Nam cum Aristophanes Bacchum suum haec proloquentem fecerit (Ran. 1055)

Ἐχάρην γοῦν, ἡνίκ' ἀπηγγέλθη περὶ Δαρείου τεθνεῶτος,
Ὁ Χορὸς δ' εὐθὺς τὼ χεῖρ' ὡδὶ συγκρούσας εἶπεν ἰαυοῖ,

quae Naekius eleganter convertit (*Opuscul.* t. I p. 206), *Wohl freut' ich mich sehr, als Meldung geschah von dem abgeschiednen Darius; Und der Chor, so schlug er zusammen die Haend' auf der Stell'*, *und sagte juchheisa*, quaeque nostris Aeschyli Persis planissime repugnant, ut in quibus neque nuntius de mortuo Dario afferatur neque Chorus gaudentis voce *ἰαυοῖ* exclamare sustineat, Eratosthenes ad hanc difficultatem (*ἀπορίαν*) removendam

non usus est vera explicatione [1]) verborum, sed ad temerariam coniecturam confugit, cuius rationem ex Aristophanis scholiasta nunc enucleare aggredior. Nimirum Eratosthenes sic fere ratiocinatus est: "quae narrat Bacchus Aristophanis, ea nostris Persis contraria sunt; atqui Aristophanes Persas legit quales Aeschylus Athenis spectandos praebuit; nostrum ergo Persarum exemplum fabula est iterum in scenam commissa multumque immutata. Cuius retractationis cum gravis quaedam causa exstare debuerit, consentaneum videtur ut statuamus, Persarum fabulam quam nos legimus tunc mutatam esse et iterum datam, cum auctor eius apud Hieronem in Sicilia [2]) versaretur". Sive hac via sive alia coniecturam suam amplexus est Eratosthenes, hoc certum est et dubitationi haud obnoxium, non rem in facto positam sed opinionem ex Aristophanis Ranis de Persis Aeschyli conceptam ab Eratosthene propositam esse. Audiamus enim scholiastam l. c. de hac re exponentem: *ἐν τοῖς φερομένοις Αἰσχύλου Πέρσαις οὔτε Δαρείου θάνατος ἀπαγγέλλεται, οὔτε ὁ χορὸς τὰς χεῖρας συγκρούσας λέγει ἰ α υ οῖ· ὅ ἐστιν ἐπιφώνημα πρὸς τὸν Διόνυσον λεγόμενον χαρᾶς ἐπελθούσης· ἀλλὰ τὰ μὲν πράγματα ὑπόκεινται ἐν Σούσοις· καὶ περίφοβός ἐστιν ἡ μήτηρ Ξέρξου ἐξ ὀνείρου τινός, χορὸς δὲ Περσῶν γερόντων διαλεγόμενος πρὸς αὐτήν, εἶτα ἄγγελος ἀπαγγέλλων τὴν περὶ Σαλαμῖνα ναυμαχίαν καὶ τὴν Ξέρξου φυγήν.* Hactenus problema proponitur, iam sequuntur solutiones: *Χαῖρις δέ φησι τὸ Δαρείου ἀντὶ τοῦ Ξέρξου. σύνηθες γὰρ τοῖς ποιηταῖς ἐπὶ τῶν υἱῶν τοῖς τῶν πατέρων ὀνόμασι χρῆσθαι. πρὸς ὅν ἐστιν εἰπεῖν, ὅτι* [3]) *ἐν τῷ δράματι λέγεται*

1) Hanc nostra demum memoria suppeditavit Naekius *Opuscul.* t. I p. 203—207. nimirum Aristophanes comica licentia et lepido proposito Bacchum suum, tanquam de plebe hominem et spectatorem minus attentum, vidisse fecit atque spectavisse quae nunquam acta sunt

2. A vera huius rei ratione prope aberat Naekius in *Opusculis* t. I p. 200. ceteri viri docti in alia omnia discedunt, ex quibus unum Od. Müllerum (*Hist. litt. Graec.* II p. 86) memorare sufficiat, de verbis Eratosthenis sic scribentem: ***jedoch haben sich auch Nachrichten ganz anderer, wirklich historischer Art, erhalten, auf die man mit Sicherheit fussen kann.***

3. Naekius in Opuscul. t I p. 200: "poterat simplicius monere verbo: *at neque Xerxes mortuus est.*" poterat sane, sed pro more etiam apud

(v. 299) "*Ξέρξης μὲν αὐτὸς ζῇ τε καὶ βλέπει φάος.*" Statim altera solutio promitur, sed ipsa difficultas iterum ante commemoratur: *Ἡρόδικος δέ φησι δίχα* [1]) *γεγονέναι τοῦ θανάτου, καὶ τὴν τραγῳδίαν ταύτην περιέχειν τὴν ἐν Πλαταιαῖς μάχην. δοκοῦσι δὲ οὗτοι οἱ Πέρσαι* (h. e. *οἱ φερόμενοι Πέρσαι* sive illud Persarum exemplum quod grammaticus haec scribens legebat cum nostro conveniens) *ὑπὸ τοῦ Αἰσχύλου δεδιδάχθαι ἐν Συρακούσαις, σπουδάσαντος Ἱέρωνος, ὥς φησιν Ἐρατοσθένης ἐν γ' περὶ κωμῳδιῶν.* Haec prior est annotatio ad locum Aristophanis, eamque qui haec scholia collegit ex *Didymi* commentariis Aristophaniis excerpsit, id quod ex altera continuo subiecta videre licet. Hanc alteram ex Symmacho ab scholiasta transcriptam esse iudico: *Ἄλλως· Δίδυμος, ὅτι οὐ περιέχουσι θάνατον Δαρείου οἱ Πέρσαι τὸ δρᾶμα. διό τινες* (Eratosthenes) *διττὰς θέσεις, τουτέστι διδασκαλίας τῶν Περσῶν φασί, καὶ τὴν μίαν μὴ φέρεσθαι* [2]). *τινὲς δὲ γράφουσι Δαρείου τοῦ Ξέρξου* [3]). *οἱ δέ* (in his *Chaeris*, a Didymo ante refutatus, commemoratus etiam, ex eodem ut videtur, a scholiasta ad Vesp. 672 sive 694), *ὅτι τοῖς κυρίοις ἀντὶ πατρωνυμικῶν κέχρηνται, καὶ ὅτι ὁ Ξέρξης. οἱ δέ, ὅτι εἴδωλον Δαρείου φθέγγεται ἐκεῖ* (in Persarum fabula v. 681 sqq.) *τεθνηκότος δηλονότι.* Quattuor offeruntur solutiones, sed omnes falsae, ac nonnullae insigni

multos aetatis nostrae philologos recepto doctrinam suam ostentare et quovis modo verba poetae antiqui proferre gaudebat.

1. Hoc (*δίχα*) vere Naekius l. c. pag. 199 reposuit pro corrupto *διττοῦ*, idemque sententiam Herodici de argumento Persarum loquentis recte indicavit hance: *dissidet a morte*, scil. Darii, *et continet pugnam apud Plataeas.* quippe Herodicus ad verba Aristophanis ob duplicem causam offendit, primum quod argumentum Persarum Aeschyli res continet diu post mortem Darii gestas, h. e. pugnam Salaminiam, adeoque pugnam Plataeensem simul amplectitur. postremis his verbis intelligit praelium ad Plataeas ab umbra Darii praedictum in Persis v. 821 (816) sq. quomodo Herodicus hanc difficultatem solverit, prior scholiastae auctor (Didymus) non exposuit: nam quae sequitur solutio aperte ad Eratosthenem refertur. fortasse ab Herodico sumpta est una vel altera earum *λύσεων*, quas mox alter scholiorum fons (Symmachus) enumeravit.

2. Eam videlicet Persarum fabulam, quam Aeschylus Athenis docuit, intercidisse statuebant qui Eratosthenis opinionem probabant.

3. Ut prior versuum Aristophanis hanc formam, ne tetrametro quidem Aristophanio convenientem, indueret: *ἐχάρην γοῦν, ἡνίκ' ἀπηγγέλθη περὶ Δαρείου τοῦ Ξέρξου.* coniectura multis partibus prava ac futilis.

temeritate et vano hariolandi studio inventae, quod praecipue dicendum est de illa, quam ab Eratosthene excogitatam esse Didymus nobis tradidit.

Ab his ambagibus, longis quidem sed ad id quod volo necessariis, redeo in viam. Didymus igitur est, unde memorabilem audacemque Eratosthenis de Persis Aeschyli coniecturam edocti sumus. Eandem notitiam praeter hunc unus scriptor vitae Aeschyliae conservavit (§. 18): *φασὶν ὑπὸ Ἱέρωνος ἀξιωθέντα ἀναδιδάξαι τοὺς Πέρσας ἐν Σικελίᾳ καὶ λίαν εὐδοκιμῆσαι.* Hoc primum indicium est, quo coniectura nostra ad Didymum, tanquam vitae Aeschyli non auctorem quidem sed fontem [1], duci potest. Pergo ad alia.

De tragoediis Aeschyli post mortem eius praemio publice proposito actis haec refert vitae scriptor §. 13: *Ἀθηναῖοι δὲ τοσοῦτον ἠγάπησαν Αἰσχύλον ὡς ψηφίσασθαι μετὰ θάνατον αὐτοῦ τὸν βουλόμενον διδάσκειν τὰ Αἰσχύλου χρυσὸν λαμβάνειν.* De eodem populiscito scholiasta Aristophanis, qui Didymum prae ceteris exscripsit, ad Acharn. 10: *τιμῆς δὲ μεγίστης ἔτυχε παρὰ Ἀθηναίοις ὁ Αἰσχύλος, καὶ μόνου αὐτοῦ τὰ δράματα ψηφίσματι κοινῷ καὶ μετὰ θάνατον ἐδιδάσκετο.* Idem ad Ranas 892: *ἐπεὶ τὰ Αἰσχύλου ἐψηφίσαντο (οἱ Ἀθηναῖοι) διδάσκειν.* Haec in re ipsa ita consentiunt, in verbis autem ita differunt, ut eundem auctorem variis temporibus scribentem prodere videantur. Conf. annot. ad *Vit. Aesch.* §. 7.

Postremo ingenium eius qui vitam Aeschyli composuit cum auctore vitae Thucydidis et Sophoclis, quas a Didymo esse vidimus, omnino convenit. Opinionum commenta exponere, res alienas putide narrare [2]) gaudet, eoque inopiam rerum cum fide traditarum compensare studet. Ad Aristophanem comicum probe

1. Didymus ipse scripturus fuisset *Ἐρατοσθένης φησὶν κτλ.*. sed qui Didymi vitam excerpsit, doctrinae molestae quae sibi videbatur vestigia delevit. idem cum in aliis locis huius vitae, tum in scholiis tragoediarum Aeschyli saepissime factum est.

2. Pertinent eo prae ceteris quae de pugna Marathonia et Salaminia, rebus notissimis, copiose ac sedulo (§. 3—4) narrantur, in quibus hic scriptor, ut Didymus alias, unum Herodotum ducem secutus est et exscripsit. conf. pag. 10 et 16 sq.

sibi cognitum libenter provocat; incertae famae ludibria severo iudicio non adhibito admittit.

Una tamen in re Aeschyli vitae scriptorem discrepare a Didymo qui Sophoclis vitam conscripsit, minime nunc dissimulandum est. Nam in vita Sophoclis huic tertii actoris inventio tribuitur (§. 5), in Aeschylia idem honos Aeschylo vindicatur (§. 16), facta tamen Dicearchi diversum tradentis mentione. Sed in huiuscemodi narratione idem litterator variis temporibus diversa referre potuit, prout in auctores contraria narrantes inciderat.

Maiorem autem Aeschyli vitae a duabus prioribus dissimilitudinem in testium enumeratione animadvertimus: nam in illis plurimi testes excitantur, in Aeschylia nemo nisi Aristophanes et Dicaearchus laudatur. Simile quoddam in scholiis Aeschyli, si Sophocliis aliisque conferantur, usu venisse patet. Nimirum qui scholia Aeschyli concinnavit, ei testium commemoratio inutile pondus libri sui visum est, eoque multiplicis doctrinae vestigia fere omnia delevit. Ita factum est, ut Didymus, qui, cum in Sophoclem Euripidemque, etiam in tragicos minus nobilitatos (Ionem Chium) commentarios scripserit, tragoediae severioris principem a se relinqui nunquam sustinuit, in Aeschyli scholiis ne semel quidem memoretur. Idem autem, qui his scholiis eum habitum dedit, me iudice etiam Aeschyli vitam a Didymo scriptam et in fronte commentariorum suorum, quos ad Aeschylum composuerat, positam ita castigavit, ut testium nomina omitteret et loco vacuo *φασί* suum substitueret, veluti §. 3 et 9 et 18, aut *κατά τινας μέν, κατὰ δὲ ἐνίους*, ut §. 9.

II.

De auctoribus in vita Aeschyli consultis.

De fabulis tragoediarum Aeschyli qui primus scripsit *Glaucus* Rheginus [1], aequalis Democriti (Diogen. IX 38), ipsoque

1. Argum. Pers. Aeschyli: *Γλαῦκος ἐν τοῖς περὶ Αἰσχύλου μύθων*

Aeschylo non multum aetate posterior, idem si de moribus factisque Aeschyli tradere voluisset, nobis in hac causa melius consultum esset, et certiora memoriae prodita si minus apud ipsum, certe apud eos qui ex hoc fonte delibaturi fuissent, nos legeremus. Nunc autem qui de vita Aeschyli primum scribere aggressi sunt, *Chamaeleo* Heracleota, *Heraclides* Ponticus, etiam *Aristoxenus* ut videtur, hi omnes plus centum annis post Aeschylum vita functum vixerunt [1]). De Aristoxeno vitarum narratore diximus p. 46. Chamaeleontis, qui Heraclidi Pontico, Aristotelis discipulo, aequalis fuit, de Aeschylo scriptum laudat Athenaeus IX p. 375 F, X 428 F (*ἐν τῷ περὶ Αἰσχύλου*), atque hinc sumpta sunt quae ab Athenaeo (I p. 21 E et 22 A) sub Chamaeleonte auctore narrantur, Aeschylum chori magistro usum non esse sed ipsum partes eius explevisse, eundem ad scribendas fabulas ebrium accessisse. Heraclidis Pontici *περὶ τῶν τριῶν τραγῳδοποιῶν ά* Diogenes V 88 in libris eius enumeravit. Inde petita sunt, ut videtur, quae Eustratius ad Aristotelis *Ethic. Nicom.* III 2 fol. 40 A rettulit, de quibus proximo capite dicemus.

Eadem aetate Dicaearchus Messenius, et ipse Aristotelis discipulus, in magno suo opere, quod *βίον Ἑλλάδος* inscripsit, occasione oblata aliquando de Aeschylo, Sophocle, Euripide quaedam rettulit [2]). Hinc Didymus sive qui scripsit vitam Ae-

ἐκ τῶν Φοινισσῶν φησὶ Φρυνίχου τοὺς Πέρσας παραπεποιῆσθαι. ἐκτίθησι δὲ καὶ τὴν ἀρχὴν τοῦ δράματος ταύτην, "τάδ' ἐστὶ Περσῶν τῶν πάλαι βεβηκότων". πλὴν ἐκεῖ εὐνοῦχός ἐστιν ἀγγέλλων ἐν ἀρχῇ τὴν τοῦ Ξέρξου ἧτταν, στορνύς τε θρόνους τινὰς τοῖς τῆς ἀρχῆς παρέδροις. tota haec notatio talis est, ut eam e Didymi commentariis a scholiasta transcriptam esse admodum verisimile videatur.

1. Aristoteles exscriptis et collectis *διδασκαλίαις* historiae poetarum scenicorum conscribendae fundamentum egregium iecerat: nemo tamen hoc fonte uberrimo ita usus videtur esse, ut fieri et potuit et debuit. apud Aeschylum tamen etiam hoc adiumentum haud dubie mancum fuit, cum monumenta didascalica temporis remotioris aut nulla essent aut intercidissent. conservata nobis sunt argumenta didascalica in Persis tribusque aliis eius tetralogiae fabulis (Olymp. 76 4) et in Orestia (Olymp. 80 2): fuit olim notitia didascalica etiam in Septem ad Theb. vid. schol. Aristoph. Ran. 1053 et 1058.

2. De illo Dicaearchi scripto eleganter et acute disputavit Naekius *Opuscul.* I p. 324 sqq., qui cum statuit Dicaearchi commentationes *περὶ*

schyli sumpsit quod de tertio actore a Sophocle invento ex Dicaearcho servavit §. 16. Aliquo tempore interiecto *Eratosthenes* floruit, qui in scripto satis amplo, quod de comoedia confecit, saepius etiam in memoriam poetarum tragicorum sponte decurrere debuit. Vid. quae monita sunt p. 64 sqq. Hos secutus est Satyrus peripateticus. Qui cum ingentem *συναγωγὴν* vitarum illustrium virorum conscripserit in eaque Sophoclem complexus sit, Aeschylum, poetam tam nobilem, ab illo non praeteritum fuisse tuto statuere licebit. Hos auctores pro sua diligentia Didymus inspicere atque consulere haud dubie non neglexit, et inde selegit quae in pleniore Aeschyli vita etiamnum legimus. Manus autem posterior et variae lectionis ostentationi iniqua pleraque testium nomina expunxisse nobis videtur. Amplius progressi sunt qui eos codices confecerunt, in quibus non maior illa vita Aeschyli, a Robortello primum publici iuris facta, sed minor quaedam servata est. Hi enim ex maiore iam olim castigata plura quae ipsis inutilia videbantur amovere ausi sunt, ut tandem vita satis curta remaneret illa quam in plurimis Aeschyli editionibus expressam reperimus.

III.

Aestimatio vitae Aeschyli.

De fide rerum ex Sophoclis vita traditarum quod ante monui, idem dicendum est de omnibus iis, quae in antiquis de vita Aeschyli traditionibus ad nostram memoriam pervenerunt. Etiam de huius rebus et ipso superstite et aliquanto post fere nihil litteris consignatum est. Accessit quod postremos vitae suae annos non in urbe patria et coram civibus suis peregit, sed in terrae peregrinae solo mortem oppetivit. Tam haec sors quam singularis tragoediarum gloria effecit, ut post mortem varia

μουσικῆς, *περὶ μουσικῶν ἀγώνων*, *περὶ Διονυσιακῶν ἀγώνων* maioris illius operis partes fuisse, hoc verissime dictum esse equidem existimo. conf. *Dicaearchi Messenii quae supersunt* composita, edita et illustrata a *Maximil. Fuhr.* Darmst. 1841.

de viro tam insigni narrarentur, quibus veritas et corrupta est et detorta. Sic evenit, ut docti homines qui post Aristotelis aevum de poetis illustribus scribere coeperunt, in Aeschylo, praeter notationes didascalicas ne ipsas quidem omnes superstites, vix quicquam invenirent nisi fabulas quasdam, quae in ore hominum de eximiis tragoediarum scriptoribus ferebantur. Eo cupidius amplexi sunt quae comici poetae, sive aequales sive aliquanto post fabulas docentes, de illis iocati erant [1]). Horum igitur effatis magnam partem nituntur quae de Aeschylo nobis tradita sunt. Alia vitae narratores ipsi coniectando invenerunt, ut rerum vere traditarum inopiam explerent, alia ac praecipue illa, quae de inventis artis tragicae prompserunt, ex tragoediis inter se comparatis repetere et agnoscere potuerunt. Quo fit ut hisce prae ceteris fides haberi possit. Quae dum in singulis a vitae Aeschyli scriptore relatis probare conabor, simul meum iudicium de pretio huic opusculo statuendo pronuntiabitur.

De patria et origine Aeschyli hoc refertur §. 1: *γένει μὲν ἦν Ἀθηναῖος, Ἐλευσίνιος τὸν δῆμον, υἱὸς Εὐφορίωνος.* Aeschylum Atheniensem fuisse satis constabat, idque non solum celebri fama sed etiam monumentorum didascalicorum notatione et epigrammatis in laudem Aeschyli compositis ad primos vitae scriptores propagatum est. Alterum illud, Eleusinio pago adscriptum Aeschylum fuisse, vel ex monumentis modo memoratis vel ex aliqua de fratre Cynaegiro, viro fortissimo, narratione condisci potuit. Tertium, Euphorione patre natum esse, ex isdem quos modo designavi fontibus vel ex Herodoto obiter in Aeschyli mentionem incidente [2]) sumpserunt. Herodoti verba in paginam inferiorem transcripta cum iis quae apud eundem VI 114 leguntur comparantibus facile etiam hoc innotuit, Cynaegirum, item filium Euphorionis, qui audaci suo et nobili facinore in praelio Marathonio, cum navem hostilem manu arreptam in littore reti-

1. Athen I p. 21 F: *παρὰ δὲ τοῖς κωμικοῖς ἡ περὶ τῶν τραγικῶν πίστις.*

2. II 156: *ἐκ τούτου δὲ τοῦ λόγου καὶ οὐδένος ἄλλου Αἰσχύλος ὁ Εὐφορίωνος ἥρπασε τὸ ἐγὼ φράσω, μοῦνος δὴ ποιητέων τῶν προγενομένων. ἐποίησε γὰρ Ἄρτεμιν εἶναι θυγατέρα Δήμητρος.*

nere vellet, brachio ferro hostili absciso occubuit [1], fratrem Aeschyli fuisse. Iam ad extremos veri terminos pervenimus. Nam vitae scriptor dum post *Κυναιγείρου ἀδελφὸς* pergit *καὶ Ἀμεινίου*, et hunce alterum fratrem iuniorem in pugna Salaminia cum Aeschylo fuisse narrat (§. 3), errori manifesto se implicuit [2]. Aeschylus enim pago Eleusinio, Aminias qui virtutis praemium in praelio Salaminio tulit Pallenensi adscriptus erat. Herodotus VIII 84: *Ἀμεινίης δὲ Παλληνεύς, ἀνὴρ Ἀθηναῖος, ἐξαναχθεὶς νηῒ ἐμβάλλει.* Ibidem c. 93: *ἤκουσαν ἄριστα . . . Πολύκριτός τε ὁ Αἰγινήτης καὶ Ἀθηναῖοι Εὐμένης τε ὁ Ἀναγυράσιος καὶ Ἀμεινίης ὁ Παλληνεύς* [3], *ὃς καὶ Ἀρτεμισίην ἐπεδίωξε.* Aminiam Aeschyli fratrem non fuisse hinc perspicuum est, neque Euphorionis filium iure haberi illum posse comparanti, quomodo veri Euphorionis filii, Cynaegirus et Aeschylus, ab Herodoto designentur (II 156, VII 114), facile apparebit. Sed quo tandem errore pro fratre Aeschyli haberi coepit Aminias? Qui vitam Aeschyli narrare aggressi sunt memoria tenebant Aeschyli fratrem fuisse Cynaegirum, fortem in praelio Marathonio bellatorem; iidem meminerant in pugna Salaminia decem annis post virtutis gloria Aminiam praestitisse. Iam falsa opinione eo deduci se passi sunt, ut utriusque pugnae adversus Persas commissae fortissimos viros fratres fuisse crederent, unde consectarium erat, ut Aminiam quoque pro Aeschyli fratre haberent. Hunc Aminiam vero tanquam *iuniorem* Aeschyli fratrem sibi cogitaverunt, propterea quod de nullo

1. Facinus Cynaegiri ab Herodoto (VI 114) simpliciter et vere narratum ab aliis scriptoribus in maius et mirum auctum esse satis cognitum. lege Plinium XXXV 34, Iustinum II 9, alios.

2. De Aminia Aeschyli fratre dubitationem movit G. Hermannus in II dissertatione *de Choro Eumenidum Aeschyli* extr (*Opuscul.* t. II p. 166), O. Müller *Histor. litt. Gr.* t. II p. 78 annot. 1. vulgatam opinionem tenuit Langius in *Vita Aeschyli* p. 5.

3. De pago Pallenensi Stephanus Byz. *Παλλήνη: ἔστι δὲ καὶ δῆμος Ἀττικὸς τῆς Ἀντιοχίδος φυλῆς οὕτω λεγόμενος, Παλλήνη. ὁ δημότης Παλληνεύς.* schol. Aristoph. Acharn. 233: *οἱ Παλληνεῖς δῆμός ἐστι τῆς Ἀττικῆς.* Plutarchus in *Themistocle* c. 14 Aminiam Decelensem (*Δεκελέα*) appellavit neque ullo verbo significavit, eum fuisse fratrem Aeschyli. idem ubi comparat Aristidem cum Catone, c. 2 viros fortes atque in praeliis adversus Persas praecellentes enumerat Sophanem, Aminiam, Callimachum, Cynaegirum, sed unum eorum cognatum alteri fuisse non indicavit.

eiusdem facinore in Marathonia pugna edito inaudiverant [1]. Nimirum propter aetatem talem virum ad Marathona pro civibus pugnare nondum potuisse opinati sunt. Iam ab antiquioribus Aeschyli vitae scriptoribus Didymus (si quidem nostram Aeschyli vitam ille conscripsit) hunc errorem accepit, itemque propagavit Diodorus [2], Didymi aequalis, et Aelianus. Aelianus autem vel auctor eius primum errorem novis auxit haec scribens in V. H. V 19: *Αἰσχύλος ὁ τραγῳδὸς ἐκρίνετο ἀσεβείας ἐπί τινι δράματι. ἑτοίμων οὖν ὄντων Ἀθηναίων βάλλειν αὐτὸν λίθοις, Ἀμεινίας ὁ νεώτερος ἀδελφός, διακαλυψάμενος τὸ ἱμάτιον, ἔδειξε τὸν πῆχυν ἔρημον τῆς χειρός. ἔτυχε δὲ ἀριστεύων ἐν Σαλαμῖνι ὁ Ἀμεινίας, ἀποβεβληκὼς τὴν χεῖρα, καὶ πρῶτος Ἀθηναίων τῶν ἀριστείων ἔτυχεν. ἐπεὶ δὲ εἶδον οἱ δικασταὶ τοῦ ἀνδρὸς τὸ πάθος, ὑπεμνήσθησαν τῶν ἔργων αὐτοῦ, καὶ ἀφῆκαν τὸν Αἰσχύλον.* Primum Aelianus Aminiam nominat pro Cynaegiro, Salaminiam pugnam pro Marathonia, tum ignoravit, eum qui brachium amisit in nobili suo facinore vitae finem invenisse (cf. Herodot. VI 114).

Redeo ad vitae scriptorem. Ille quod addit prioribus *ἐξ εὐπατριδῶν τὸ γένος κατάγων*, id per se verisimile est: Aeschylus enim cum in aliis tragoediis, tum in Eumenidibus optimarum partium fautorem sese ostendit. Aut hoc aut falsam illam de Aminia tanquam fratre Aeschyli opinionem secuti sunt qui nobili genere natum esse Aeschylum memoriae prodiderunt. Ad Marathona cum fratre Cynaegiro Aeschylum adversus Persarum copias stetisse praeter vitae scriptorem multi tradiderunt: neque res ipsa talis est, qualis credi nequeat. Dubitationi tamen vel sic obnoxia est. Certe Herodotus ubi Cynaegiri nobile ausum refert, de fratre eius Aeschylo ne verbum quidem posuit, quamvis apta adesset occasio et quasi invitaret. Idem dicendum videtur de Aristophanis in Ranis silentio. Rursus vitae narratores et auctor epigrammatis perperam ad Aeschylum relati a fratre

1. Unus Suidas negligentia peccans contrarium tradit s. v. *Αἰσχύλος: Ἀμεινίου ἀδελφὸς καὶ Κυναιγείρου, τῶν εἰς Μαραθῶνα ἀριστευσάντων ἅμα αὐτῷ.*

2. XI 27: *ἀριστεῦσαι . . . Ἀμεινίαν Ἀθηναῖον τὸν ἀδελφὸν Αἰσχύλου τοῦ ποιητοῦ.*

Cynaegiro nimis facile ad Aeschylum Marathonii praelii militem, ab Aminia, quem Aeschyli fratrem fuisse opinabantur, ad Aeschylum Salaminiae pugnae socium et hinc porro ad Artemisium et Plataeas seduci potuerunt. Quod ut promptius crederent, permovit eos etiam hominum ab Aeschylo in scenam adductorum spiritus et magnus animus. Nam qui viros fortitudinem spirantes, qui heroas illis *Μαραθωνομάχοις* similes praeclare depictos ostenderat, hunc ipsum pro strenuo bellatore habere animum facile induxerunt. Primus autem qui bellicae laudis mentionem in Aeschylo fecit, is est qui composuit epigramma a vitae scriptore (§. 12) conservatum, ab Eustratio ad Ethica Nicomachea Aristotelis (III 2) et Plutarcho de Exsil. c. 13 ex parte relatum, ab Athenaeo (XIV p. 627 C—D) et Pausania (I 14 4) nonnulla inde afferentibus ipsi Aeschylo perperam attributum. Is auctor epigramma suum pro more solito sic concinnavit, quasi in Aeschyli monumento legeretur. Atque ipse unius Marathoniae militiae mentionem fecit. Etiam marmoris Parii chronographus uno praelio contentus est Epocha 48: *ἐν μάχῃ συνηγωνίσατο Αἰσχύλος ὁ ποιητὴς [ἐ]τῶ[ν] ὢν ΔΔΔΓ*. Sed fama crevit eundo. Primum fortitudinis ad Marathona specimina accuratius percenseri coepta sunt. Audi Eustratium ex fontibus antiquis, fortasse ex Heraclide Pontico, haec referentem l. c.: *ὁ μὲν γὰρ ἀδελφὸς αὐτοῦ Κυναίγειρος ἀπεκόπη τὰς χεῖρας, αὐτὸς δὲ πολλὰ τρωθεὶς ἀνηνέχθη φοράδην. μαρτυρεῖ δὲ τούτοις καὶ τὸ ἐπίγραμμα τὸ ἐπιγεγραμμένον αὐτοῦ τῷ τάφῳ· Αἰσχύλον Εὐφορίωνος κτλ.* Dein ut aliquis *ἐνστάτης* Persarum Aeschylus fieret, in cetera praeliorum loca ductus est. Sed unius pugnae factam in antiquo epigrammate mentionem Pausanias et Athenaeus locis indicatis mirifice ita explicant, ut Aeschylum (nam hunc auctorem epigrammatis habent) Marathonio facinori plurimum tribuisse dicant. Et Pausanias quidem haec scripsit falsis opinionibus referta: *φρονῆσαι δὲ Ἀθηναίους ἐπὶ τῇ νίκῃ ταύτῃ μάλιστα εἰκάζω· καὶ δὴ καὶ Αἰσχύλος, ὥς οἱ τοῦ βίου προσεδοκᾶτο ἡ τελευτή* [1], *τῶν μὲν ἄλλων ἐμνημόνευσεν οὐδένος, δόξης εἰς το-*

1. Opinatus est Aeschylum, cum supremum diem exspectaret, epigramma illud fecisse et incidendum suo sepulcro reliquisse.

σοῦτον ἥκων ἐπὶ ποίησιν, καὶ πρὸ Ἀρτεμισίου καὶ ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχήσας· ὁ δὲ τό τε ὄνομα πατρόθεν καὶ τὴν πόλιν ἔγραψεν, καὶ ὡς τῆς ἀνδρείας μάρτυρας ἔχοι τὸ Μαραθώνιον ἄλσος καὶ Μήδων τοὺς ἐς αὐτὸ ἀποβάντας. Quoniam hoc epigramma ad ipsum Aeschylum auctorem referebat, id multo antiquius esse quam statuam Aeschylo positam (haec enim oratoris Lycurgi aetate facta erat) pronuntiavit I 21 3: *τὴν δὲ εἰκόνα τοῦ Αἰσχύλου. πολλῷ τε ὕστερον τῆς τελευτῆς δοκῶ ποιηθῆναι καὶ τῆς γραφῆς* [1], *ἣ τὸ ἔργον ἔχει τὸ ἐν Μαραθῶνι.* Eandem opinionem Athenaeus exposuit his verbis: *Αἰσχύλος, τηλικαύτην δόξαν ἔχων διὰ τὴν ποιητικήν, οὐδὲν ἧττον ἐπὶ τοῦ τάφου ἐπιγραφῆναι ἠξίωσε μᾶλλον τὴν ανδρείαν, ποίησας*

Ἀλκὴν δ' εὐδόκιμον Μαραθώνιον ἄλσος ἂν εἴποι
καὶ βαθυχαιτήεις Μῆδος ἐπιστάμενος.

Pauca illa de genere Aeschyli et laude bellica postquam narravit vitae scriptor, iam praeter iter Siculum nihil supererat, quod de rebus eius traderetur. Quae cum nimis exigua viderentur, nonnulla de poesi Aeschylia, nominatim ea in quibus luculentum testem Aristophanem laudare poterat, in narrationem vitae ascivit (§. 5—8). Quo facto progressus est ad postremum illud, quod de Aeschylo compertum erat, ad iter Siculum et vitae finem in Sicilia repertum. Ea res eiusmodi fuit, ut per multos annos teneri memoria hominum posset, donec ab antiquioribus vitae scriptoribus etiam litteris figeretur. Sed quod de facto ipso valet, idem de causa, cur patrium solum alieno mutaverit, dici nequit: immo hanc tot annis delituisse atque ex civium memoria excidisse rei naturae consentaneum videtur. Hoc autem usu venisse eo argumento luculente convincitur, quod multae variaeque afferuntur profectionis causae [2], quae facili negotio redarguuntur, dummodo hoc teneamus, in quo omnes testes sive disertim sive taciti consentiunt, Aeschylum relicta patria urbe

1. *γραφὴ ἣ τὸ ἔργον ἔχει τὸ ἐν Μαραθῶνι* ipsum est epigramma, quo facinus Marathonium nobilitatur. Falso et Stanleius et recentiores viri docti nonnulli de pictura nescio qua cogitaverunt.

2. In expiscandis his causis auctores sedulo circumspexere, quidnam ingratum acerbumque poetae per vitam unquam acciderit. conf. O. Mülleri *Hist. litt. Gr.* t. II p. 86.

non redisse, sed in Sicilia et mortuum esse et sepultum. Itaque hoc tenentes itineris Siculi tempus ultra annum secundum Olympiadis octogesimae redigemus: eo enim anno nondum discesserat Aeschylus, sed Athenis Orestiam docuit et victor renuntiatus est. Argum. Agamemnonis: *ἐδιδάχθη τὸ δρᾶμα ἐπὶ ἄρχοντος Φιλοκλέους, Ὀλυμπιάδι ὀγδοηκοστῇ ἔτει δευτέρῳ. πρῶτος Αἰσχύλος Ἀγαμέμνονι, Χοηφόροις, Εὐμενίσι, Πρωτεῖ σατυρικῷ. ἐχορήγει Ξενοκλῆς Ἀφιδνεύς.* Quodsi primo anno Olympiadis octogesimae primae mortuus est Aeschylus apud Siculos, ut refert marmor Parium [1]) et scholiasta Aristophanis Acharn. (v. 10) archonte Callia commemorato, ac si tres annos in Sicilia vixit, ut vitae scriptor narrat (§. 11), post Orestiam Athenis datam profectus est. Eius trilogiae tragoedia postrema atque omnium gravissima *Eumenides* erant. Cum igitur *post* hanc fabulam Athenis digressus sit Aeschylus, a vero detorta fama est ita, ut *propter* eam profectus esse diceretur. Huc opinione sua delati sunt qui miram itineris causam excogitaverunt, ab Aeschyli vitae scriptore tertio loco (§. 9) repositam: *τινὲς δέ φασιν ἐν τῇ ἐπιδείξει τῶν Εὐμενίδων σποράδην εἰσαγαγόντα τὸν χορὸν τοσοῦτον ἐκπλῆξαι τὸν δῆμον, ὥστε τὰ μὲν νήπια ἐκψῦξαι, τὰ δὲ ἔμβρυα ἐξαμβλωθῆναι.* Nihil hoc esse nisi commentum nostra aetate omnes facile concedunt, atque contrarium vel ex victoria poetae decreta luculente liquet. Neque vero Athenienses, qui tot per annos in fabulis Aeschyli terribiles personas et insolitas conspexerant, tam prompti ad metum erant, neque tam inepti ut infantulos suos (*τὰ νήπια*) ad spectandum admitterent. Quae de Furiis *σποράδην* introductis narrantur, haec pertinent ad Eumenid. v. 140 sqq., ubi Furiae neque *ordinatim* neque *iugatim* orchestram ingrediuntur, sed una post aliam ex adyto prosiliunt. Unde admiratio quidem et exspectatio augeri potuit, metus et terror intendi vix potuit. Eandem fabellam amplius exornavit is quem Pollux IV 110 exscripsit: *τὸ δὲ παλαιὸν ὁ τραγικὸς χορὸς πεντήκοντα ἦσαν ἄχρι τῶν Εὐμενίδων Αἰσχύλου· πρὸς δὲ τὸν*

1. Epocha 59: *Αἰσχύλος ὁ ποιητὴς βιώσας ἔτη ΠΔΠIIII ἐτελεύτησεν ἐν [Γέλ]ᾳ τῆς [Σι]κελίας . . . ἄρχοντος Ἀθήνησι Καλλ[ί]ου τοῦ προτέρου.*

ὄχλον αὐτῶν τοῦ πλήθους ἐκπτοηθέντος, συνέστειλεν ὁ νόμος εἰς ἐλάττω ἀριθμὸν τὸν χορόν. Conficta haec esse vidit docuitque Hermannus in dissertatione I *de Choro Eumenidum Aeschyli* (Opuscul. t. II p. 130). Nihilo minus tam hoc commentum quam alterum illud satis antiquum ac Satyri temporibus certe non recentius videtur exstitisse.

Aliam causam cur patriam reliquerit sic vitae narrator significavit: *κατά τινας μὲν ὑπὸ Ἀθηναίων κατασπουδασθεὶς καὶ ἡσσηθεὶς νέῳ ὄντι τῷ Σοφοκλεῖ.* Haec vulgo ad id tempus referuntur, quo Sophocles in certamen primum descendisse Aeschylumque vicisse traditur, neque ego repugnarem, si res ipsa satis certa foret. Nunc effatum nostri scriptoris premendum mihi videtur monendumque, nihil nisi coniecturam quandam de victoria, quam de Aeschylo seniore iuvenis Sophocles sive semel sive aliquotiens tulerit, his verbis contineri. Huic consentaneum est quod Didymus in vita Sophoclis (§. 14), ubi praecipuos concertatores Sophoclis enumerat, Aeschylum et Euripidem primo loco nominavit. Aeschylum autem quanquam honoris et gloriae causa memorare potuit, etiamsi semel tantum in arenam cum Sophocle descendisset, hoc tamen certum est, de una illa victoria tam memorabili nihil ei innotuisse. Etiam qui marmoris Parii chronographiam confecit Sophoclisque victoriam (primam) ad Olymp. 77 4 rettulit, de Aeschylo tunc victo et Athenis profecto nihil protulit, Epoch. 56: *Σοφοκλῆς ὁ Σοφίλλου ὁ ἐκ Κολωνοῦ ἐνίκησε τραγῳδίᾳ ἐτῶν ὢν ΔΔΓΙΙΙ . . . ἄρχοντος Ἀθήνησι Ἀψηφίονος.* Antiquissimus idem et unus huius rei testis restat Plutarchus. Qui quanquam duobus locis in eam mentionem incidit, tamen prius eius testimonium altero tollitur et fide non dignum esse convincitur. Videamus. In Cimone c. 8, ubi hunc devictis (ad Eïona) Persis oraculi mandato obsequentem ossa Thesei ex insula Scyro Athenas deportasse narravit, in hunc modum pergit: *ἔθεντο δ' (οἱ Ἀθηναῖοι) εἰς μνήμην αὐτοῦ (Θησέως) καὶ τὴν τῶν τραγῳδῶν κρίσιν ὀνομαστὴν γενομένην. πρώτην γὰρ διδασκαλίαν τοῦ Σοφοκλέους ἔτι νέου καθέντος, Ἀψηφίων* [1] *ὁ ἄρχων,*

1. Editiones Plutarchi praebent nominis formam *Ἀφεψίων*: ascivi marmoris Parii scripturam.

φιλονεικίας ουσης καὶ παρατάξεως τῶν θεατῶν, κριτὰς μὲν οὐκ ἐκλήρωσε τοῦ ἀγῶνος, ὡς δὲ Κίμων μετὰ τῶν συστρατήγων προελθὼν εἰς τὸ θέατρον ἐποιήσατο τῷ θεῷ τὰς νενομισμένας σπονδάς, οὐκ ἀφῆκεν αὐτοὺς ἀπελθεῖν, ἀλλ' ὁρκώσας ἠνάγκασε καθίσαι καὶ κρῖναι δέκα ὄντας, ἀπὸ φυλῆς μιᾶς ἕκαστον. ὁ μὲν οὖν ἀγὼν καὶ διὰ τὸ τῶν κριτῶν ἀξίωμα τὴν φιλοτιμίαν ὑπερέβαλε. νικήσαντος δὲ τοῦ Σοφοκλέους λέγεται τὸν Αἰσχύλον περιπαθῆ γενόμενον καὶ βαρέως ἐνεγκόντα χρόνον οὐ πολὺν Ἀθήνησι διαγαγεῖν, εἶτ' οἴχεσθαι δι' ὀργὴν εἰς Σικελίαν, ὅπου καὶ τελευτήσας περὶ Γέλαν τέθαπται. Apsephion archon fuit Olymp. 77 4, ut patet ex Diogene Laertio II 44 et Diodoro Siculo XI 63 [1]). Haec temporis ratio confictam esse arguit totam narratiunculam a Plutarcho suaviter expositam et me iudice ex aliquo memorabilium scriptore repetitam. Scilicet idem Plutarchus in Theseo c. 36 tradit *Phaedone archonte*, h. e. Olymp. 76 1, iussos esse ab oraculo Delphico Athenienses ossa Thesei Athenas reciperare: *μετὰ δὲ τὰ Μηδικὰ Φαίδωνος ἄρχοντος μαντευομένοις τοῖς Ἀθηναίοις ἀνεῖλεν ἡ Πυθία τὰ Θησέως ἀναλαβεῖν ὀστᾶ καὶ θεμένους ἐντίμως παρ' αὐτοῖς φυλάττειν.* Post haec pergit exsequi, quomodo divino mandato morem gesserint Athenienses et ossa Thesei Cimonis ductu Athenas reportaverint. Itaque Thesei reliquiae septem vel minimum sex annis ante quam fabulas docere Sophocles coepit Athenas relatae sunt. Atque hanc temporis rerumque descriptionem veram esse, priorem autem egregie falsam, Thucydidis verba declarant I 98: *πρῶτον μὲν Ἠϊόνα τὴν ἐπὶ Στρυμόνι Μήδων ἐχόντων πολιορκίᾳ εἷλον καὶ ἠνδραπόδισαν Κίμωνος τοῦ Μιλτιάδου στρατηγοῦντος* (hoc factum est Olymp. 76 1 vel 75 4). *ἔπειτα Σκῦρον τὴν ἐν τῷ Αἰγαίῳ νῆσον . . . ἠνδραπόδισαν καὶ ᾤκισαν αὐτοί* [2]). Thesei

1. Apud Diodorum l. c. pro *Φαίωνος* suppleto nominis initio reponendum esse *Ἀψηφίωνος* vel *Ἀψεφίωνος* recte vidit Stanleius in comment. ad vitam Aeschyli apud Butlerum t VIII p. 69 et Boeckhius in *Corp. Inscript. Gr.* t. II p. 340.

2. Procul amovenda sunt illa molimina et machinae, quibus nonnulli hoc statuunt, Athenienses interiectis demum septem annis oraculo morem gessisse: refragatur enim Thucydides, Plutarchus ipse Cim. c. 7 et 8 ac Thes. c. 36, etiam Diodorus XI 60. Krüger in *Studiis historico-philolog.* p. 45 coniicit expugnationem Scyri pro praelio Eurymedontis per errorem

igitur ossa cum pluribus annis ante quam in certamen congredi Sophocles coepit Athenas perlata sint, prior illa narratio Plutarchi suavius quam verius inventa est. Hoc ita se habere etiam alio argumento videre licet. Etenim quoniam Aeschylus, ut ante vidimus, demum Olymp. 80 2 Athenas reliquit, is non paulo post Olymp. 77 4 in Siciliam abiit, quod Plutarchus dici tradit, sed decem annos apud cives post illud tempus remansit atque per hoc temporis spatium haud dubie etiam cum Sophocle saepius certavit, ut a scriptore vitae Sophocliae in praecipuis Sophoclis concertatoribus suo iure referatur. Si Plutarchus vera tradidisset, levi sane consuetudine duo celeberrimi tragoediarum scriptores sese attigissent. Quid multa? Ipsa indignatio Aeschyli ob Sophoclem sibi praelatum nihil est nisi coniectura ad explicandam causam ignotam, cur Aeschylus ad exteros se contulerit, temere excogitata. Qua in re nonnulli, quos narrator vitae Aeschyli (Didymus) sequitur, coniecturam suam nullis ornamentis protulerunt: *κατά τινας μὲν ὑπὸ Ἀθηναίων κατασπουδαστεὶς (neglectus) καὶ ἡσσηθεὶς νέῳ ὄντι τῷ Σοφοκλεῖ*: quae non solum de una victoria sed etiam de pluribus a Sophocle relatis accipi possunt, cum Sophocles comparatus ad seniorem Aeschylum etiam proximis post artis ingressum annis *νέος* esse non desierit. Alii autem fabulam semel inventam amplius exornare et notis quibusdam illustribus instruere aggressi sunt. Hoc ille fecit, cuius narrationem Plutarchus adoptavit. Hermannus hunc Aeschyli post primam Sophoclis victoriam discessum pro vero accipiens [1], praeter verum et unum iter Siculum ultimis vitae annis factum, alterum Olymp. 77 4 vel paulo post susceptum, adeo tertium et quartum aliis de causis initum admitti voluit, idemque sua ratione severe usus quintum adiicere debuit: sed sic causis istis leviter excogitatis nimium tribuitur, et testimonia eorum qui Aeschylum aliquanto post patriam relictam in Sicilia

a Plutarcho positam esse. sed ut omittam monere, hoc esse falsa dicentibus latebras quo refugiant aperire, apud Plutarchum omnia redeunt ad ossa Thesei de Scyro Athenas deportata et festos dies ob rem urbi tam laetam celebratos.

1. *De choro Eumenid. Aeschyli dissert.* II in Opusculis t. II. p. 149 sqq.

mortuum esse tradidere, id quod unum liquido contestatum ideoque prae ceteris tenendum est, iusto plus negliguntur.

De tertia causa itineris Siculi vitae scriptor haec offert: *ἀπῆρε δὲ πρὸς Ἱέρωνα τὸν Σικελίας τύραννον . . . κατὰ . . ἐνίους ἐν τῷ εἰς τοὺς ἐν Μαραθῶνι τεθνηκότας ἐλεγείῳ μέτρῳ ἡσσηθεὶς Σιμωνίδῃ.* Ad Hieronem dicit Aeschylum se contulisse. Hieronis imperium Syracusarum cum Olympiadis 75 anno 3 inchoatum et undecim annis post (Olymp. 78 2) morte eius finitum sit [1]), Aeschylus autem ante Olymp. 80 2 Athenis non discesserit Siciliamve profectus sit, id quod ante vidimus, ad Hieronem nunquam profectum esse Aeschylum apparet. Cui bene convenit fidum testimonium eorum, qui poetam non in urbe Syracusarum sed apud Geloos commoratum ac mortuum esse memoriae prodidere. Epigramma vitae Aeschyli §. 12. Diodori elogium in Aeschylum (Antholog. VII 40). Plutarch. in Cimone c. 8. Sed cur *Hieronem* hic noster intulit, acceptum haud dubie ab antiquioribus [2])? Facilis est responsio. Hiero Pindari carminibus itemque Simonidis laudibus et Bacchylidis tanquam egregius poetarum fautor concelebratus erat, atque hi omnes in Hieronis aula liberaliter accepti aliquot temporis degerant. Hinc factum est, ut qui profectum esse in Siciliam Aeschylum comperissent, statim ad optimum regem artiumque studiis unice deditum cogitatione sua delaberentur. Temporum rationes si nostro more subduxissent, ab eo errore sibi cavere facile potuissent. Sed hoc et vitae narrator et auctores eius adeo non fecerunt, ut Aeschylum carmine elegiaco, de iis qui praelio Marathonio ceciderant composito, a Simonide superatum ad Hieronem *Siciliae regem* deduxerint eumque hoc regnante mortuum esse scripserint. Qua in re error duplex latet. Nam pugna Marathonia cum Olymp. 72 3 commissa sit, certamen illud anno proximo sub

1. Diodor. XI 38 et 66. schol. Pind. Pyth. I 1. Aristot. Polit. V 9 (12) §. 23.

2. Primus quem de Hierone Siculo amico Aeschyli cogitasse, sed in ea re levissimis coniecturis se dedisse certo scio, Eratosthenes est. conf. p. 64 sqq. diu post Didymum in hanc mentionem incidit Pausanias I 2 3: *ἐς Συρακούσας πρὸς Ἱέρωνα Αἰσχύλος καὶ Σιμωνίδης ἐστάλησαν.*

archonte Aristide (Olymp. 72 4) institutum videtur [1]). Atqui huic ipsi tempori marmor Parium delegat victoriam Simonidis, quem tamen *Σιμωνίδην τὸν Σιμωνίδου πάππον τοῦ ποιητοῦ* mire designat, errore deceptus iudice Boeckhio, cum Simonides ille nobilis Leoprepis filius nominandus fuerit. Ea autem aetate non Hiero sed Gelo Syracusarum tyrannus erat, atque Hiero demum Olymp. 75 3 imperium nactus est. Rursus Hiero e vivis diu excesserat, cum Aeschylus Olymp. 80 2 in Siciliam venit et tribus annis post apud Geloos mortalitatem explevit. Nihilo minus hic noster Aeschyli finem ita narravit (§. 11), tanquam Hiero superstes ei fuisset. Si re vera post hoc certamen Athenis in Siciliam Aeschylus abiisset, iam tria itinera Sicula eius comparerent, unum Olymp. 72 4 factum, alterum 77 4, tertium 80 2. Sed quemadmodum medium sustulimus, ita etiam primum amoveri debet. Ipso enim facto sublato, iter quoque concidit. Factum vero haud dubie confictum est. Scilicet nulla elegorum certamina Athenis fuere, et Simonides victorias quas adeptus est non elegis sed dithyrambis choricisque carminibus meruit [2]).

Quartam causam cur Aeschylus Athenas reliquerit, quanquam vitae scriptor haud commemoravit, tamen etiam hanc paucis examinare placet, quo magis itinerum Siculorum ratio declaretur. De hac Suidas s. v. *Αἰσχύλος*: *φυγὼν δὲ εἰς Σικελίαν διὰ τὸ πεσεῖν τὰ ἴκρια ἐπιδεικνυμένου αὐτοῦ, χελώνης ἐπιρριφείσης . . . ἀπώλετο.* Eandem rem narrat s. v. *Πρατίνας*: *ἀντηγωνίζετο δὲ Αἰσχύλῳ τε καὶ Χοιρίλῳ ἐπὶ τῆς ἑβδομηκοστῆς Ὀλυμπιάδος, καὶ πρῶτος ἔγραψε σατύρους. ἐπιδεικνυμένου δὲ τούτου συνέβη τὰ ἴκρια, ἐφ' ὧν ἑστήκεσαν οἱ θεαταί, πεσεῖν,*

1. Hoc Boeckhius statuit *Corp. Inscript.* t. II p. 319. Hermannus l. c. *Opuscul.* t. II p. 145 et 153 annum proxime inferiorem (Olymp. 73 1) accepit.

2. Quae circumferuntur Aeschyli Simonidisque elogia de bellatoribus fortiter pugnantibus composita et perpaucis versibus comprehensa, nullum eorum cum aliqua veri similitudine de *Μαραθωνομάχοις* factum accipi intelligique potest. errarunt igitur quicunque versus a Simonide et Aeschylo certaminis causa editos in reliquiis horum poetarum se deprehendisse crediderunt. poetae nobilissimi neque tam exiguis poematiis certare animum induxerunt, neque Athenienses certaminum adeo studiosi fuerunt, ut duobus quattuorve versibus victoriam aut decernerent aut adimerent.

καὶ ἐκ τούτου θέατρον ᾠκοδομήθη Ἀθηναίοις. Sedilia spectantium cum conciderint in certamine Pratinae et Choerili et Aeschyli, nihil mirandum videtur a Suida referri hoc factum esse, cum Aeschylus et cum Pratinas fabulas exhiberet. Novum igitur iter Siculum lucrabimur et ipsum inani de causa susceptum, si istis commentis confidere velimus. Sed nondum satis est. Nam vitae narrator quae tradit (§. 10), *ἐλθὼν τοίνυν εἰς Σικελίαν, Ἱέρωνος τότε τὴν Αἴτνην κτίζοντος, ἐπεδείξατο πάνυ λαμπρῶς, οἰωνιζόμενος ἐντεῦθεν βίον ἀγαθὸν τοῖς συνοικίζουσι τὴν πόλιν,* haec neque ad Olympiadem 70, neque ad 72 4, neque ad 77 4, neque ad 80 2 quadrare manifestum est. Hiero enim Olymp. 76 1 Cataneis pulsis alios colonos in oppidum eorum deduxit et coloniae nomen Aetnae fecit. Lege Diodorum XI 49, Boeckhii *Explicationes* ad Pindari Pyth. I. Aetna igitur condita est septem annis ante, quam Aeschylus Olymp. 77 4 in Siciliam venisse creditur. Siculas igitur Aeschyli *ἐπιδείξεις* illas qui pro veris habiturus est, is *quintum* iter Siculum admittat necesse est. Nos simplicius et verius agemus. Nimirum qui mente in habitationem Siciliensem Aeschyli nimis conversa fabulam eius *Αἰτναίων* [1]) legebant et quaedam de urbe Aetna more Aeschylio intexta reperiebant, id quod etiam in fabula Athenis agenda fieri potuit, continuo et hanc tragoediam et alias apud Siculos Aeschylo coram datas esse coniecerunt. Ob causam longe futiliorem Persas Syracusis actam esse Eratosthenes statuit.

Aliam famam ex itinere Siculo, ut videtur, ortam vitae narrator non memoravit, crimen dico profanatae ab Aeschylo religionis, eo quod *μυστικώτερόν τι* in una vel pluribus fabulis protulisse dicitur. Eius rei qui mentionem primus iniecit, Aristoteles *Ethic. Nicom.* III 2, popularem quandam famam secutus esse neque de defensione coram iudicibus, sed de privati sermonis excusatione videtur cogitasse: *ὃ δὲ πράττει, ἀγνοήσειεν ἄν τις, οἷον λέγοντές φασιν ἐκπεσεῖν αὐτοῖς, ἢ οὐκ εἰδέναι, ὅτι ἀπόρρητα ἦν, ὥσπερ Αἰσχύλος τὰ μυστικά.* Ad haec verba Eustra-

1. Commemoravi *τὰς Αἰτναίας* quamvis meliorum librorum auctoritate ex contextu vitae Aeschyli iam expulsas: nam de his praecipue cogitasse vitae narratorem ex verbis eius *οἰωνιζόμενος — τὴν πόλιν* apparet.

tius fol. 40 A: *δοκεῖ Αἰσχύλος λέγειν μυστικά τινα ἔν τε ταῖς Τοξοτίσι καὶ Ἱερείαις καὶ ἐν Οἰδίποδι· ἐν γὰρ τούτοις πᾶσι περὶ Δήμητρος λέγων τῶν μυστικωτέρων περιεργότερον ἅπτεσθαι δοκεῖ.* Advertas, lector, locum obnoxium offensioni referri ad *dicta quaedam de Cerere.* Quibus si conferantur quae Herodotus II 156 de peculiari figmento poetico Aeschyli ita communicavit, ut falsam opinionem Atheniensium correcturus videatur fuisse [1], quae ipsa spectant Dianam Cereris filiam ab Aeschylo singulari licentia perhibitam, iam probabiliter definiri poterit, quale fuerit illud, quod *μυστικώτερον* apud Aeschylum deprehensum et ab hoc tanquam imprudentia peccatum excusatum sit. Nam cum iuxta *μυστικὸν λόγον* quendam luna terrae filiola designaretur, Aeschylus autem Dianam, h. e. lunam, Cereris (terrae) filiam exhibuisset, hoc ille ex mysteriis Eleusiniis sumpsisse creditus est. Sed res parum cognita mox fabulosis additamentis circumdata est. Audi enim quae Heraclides Ponticus apud Eustratium de fanatico Atheniensium furore mira et incredibilia prompsit: *λέγει δὲ περὶ Αἰσχύλου καὶ Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς ἐν τῷ πρώτῳ περὶ Ὁμήρου, ὡς κινδυνεύοντος ἐπὶ σκηνῆς ἀναιρεθῆναι ἐπὶ τῷ τῶν μυστικῶν προφέρειν τινὰ δοκεῖν, εἰ μὴ προαισθόμενος κατέφυγεν ἐπὶ τὸν τοῦ Διονύσου βωμόν, καὶ Ἀρειοπαγιτῶν παραιτησαμένων ὡς ὀφείλοντα κριθῆναι πρῶτον, ἐδόκει ὑπαχθῆναι εἰς δικαστήριον. καὶ ἀποφυγεῖν, αὐτῶν τῶν δικαστῶν ἀφέντων μάλιστα διὰ τὰ πραχθέντα αὐτῷ ἐν τῇ ἐπὶ Μαραθῶνι μάχῃ.* Quomodo post Heraclidem, iam ipsum nihil nisi fabellam proferentem, haec amplius exornata sint et aucta, lege apud Hermannum l. c. *Opuscul.* t. II p. 163 sqq., Lobeckium in *Aglaophamo* t. I. p. 76—84. Uterque eorum suam de vero Aeschyli crimine coniecturam attulit, sed ut in re incerta admodum incertam.

Ad mortem Aeschyli accedimus. Haec cum procul a patria evenisset, aut nihil certi Athenas perlatum aut cum veris etiam mira et fabulosa narrata esse de extremis viri tam insignis videntur. Fabulosa autem, ut fit, progressu temporis sola ad po-

1. *ἐκ τούτου δὲ τοῦ λόγου καὶ οὐδένος ἄλλου Αἰσχύλος — ἥρπασε τὸ ἐγὼ φράσω κτλ.* cf. pag. 71 annot. 2.

steros propagata sunt. Certe incredibilia sunt quaecunque de eius fine vitae narrantur. Ac prima fabulae forma haec videtur fuisse, ut aquila testudinem in altum aëris arreptam inde calvo poetae capiti, quod saxum esse credidit, illideret. Hanc Valerius Maximus exposuit, "urbe Siciliae" memorata, IX 12 ext. 2: *Aeschyli vero poetae excessus quemadmodum non voluntarius, sic propter novitatem casus referendus est. In Sicilia, moenibus urbis in qua morabatur egressus, aprico in loco resedit. Super quem aquila testudinem ferens elusa splendore capitis (erat enim capillis vacuum) perinde atque lapidi eam illisit, ut fractae carne vesceretur. Eoque ictu origo et principium fortioris tragoediae exstinctum est.* Aprico in loco cur resederit poeta, ex Sotade (Stob. Floril. t. 96 (98) patet: *Αἰσχύλῳ γράφοντί τι ἐπιπέπτωκε χελώνη.* Nimirum id fecisse ferebatur, ut scribendo operam daret. Causam cur illo die domo moenibusque urbis exiret, Plinius N. H. X 3 rettulit: *ingenium est ei* (aquilae) *testudines captas frangere e sublimi iaciendo. Quae sors interemit poetam Aeschylum, praedictam fatis, ut ferunt, eius diei ruinam secura caeli fide caventem.* Add. Aeliani H. A. VII 16. Haec autem cum incredibilia viderentur, Didymus sive qui vitam Aeschyli conscripsit, probabilia secutus narravit (§. 11), testudinem, ex alto ab aquila saxo illidendam, infelici casu in caput Aeschyli delatam mortis causam exstitisse. Oraculum de instante fine poetae datum et ipse commemoravit, sed diversum ab eo quod Plinius respexit.

Triennii tempus quod apud Geloos in Sicilia Aeschylus peregit, nimio libertatis licentiaeque studio Atheniensium offensus, nullas tragoedias videtur docuisse: nam in ulla Siciliae urbe tunc tragoedias datas esse nullo argumento probari potest. Sed quo minus scriberet fabulas, nihil sane impedivit et hoc naturae tanti poetae consentaneum videtur. Has esse tragoedias existimo, quas mortuo patre ad filium Euphorionem venisse et ab hoc Athenis datas esse accepimus. Suidas: *Εὐφορίων, υἱὸς Αἰσχύλου τοῦ τραγικοῦ, Ἀθηναῖος, τραγικὸς καὶ αὐτός, ὃς καὶ τοῖς τοῦ πατρὸς Αἰσχύλου, οἷς μήπω ἦν ἐπιδειξάμενος, τετράκις ἐνίκησεν* [1]).

1. Bergkius ad Fragmenta Aristophanis p. 904 in Meinekii *Fragmen-*

Euphorio cum Olymp. 87 1 ipsum Sophoclem vicit atque Euripidis Medeam, Philoctetam, Dictyn, Messores tertio loco post se reliquit, haud dubie unam ex relictis patris tetralogiis adversus concertatores tam insignes in certamen produxit [1]. Is autem quamvis suo nomine suoque praemio et honore eas tragoedias doceret, atque archon Atheniensis magis anquireret abs quo fabulae ad agendum offerrentur quam quis verus earum auctor esset, tamen spectatores Athenienses mortui poetae gravitatem et audaciam facile agnoscebant, et iudices, cum in defuncto viro et invidia obmutesceret et favor floreret, victoriam denegare vix poterant. Hinc explicanda sunt verba Aristophanis, quibus Olymp. 88 3 Dicaeopolin suum in Acharnensibus v. 9 haec narrantem inducit:

Ἀλλ' ὠδυνήθην ἕτερον αὖ τραγῳδικόν,
Ὅτε δὴ 'κεχήνη προσδοκῶν τὸν Αἰσχύλον,
Ὁ δ' ἀνεῖπεν "εἴσαγ', ὦ Θέογνι, τὸν χορόν."

Quippe Dicaeopolis aliquam *διδασκαλίαν* Aeschyli quamvis demortui ab Euphorione filio proferendam exspectabat, sed praeco Theognidis mali frigidique poetae chorum tragicum induci annuntiabat. Hinc Aeschylus apud Aristophanem in Ranis 892 (868) gloriatur adversus Euripidem: *ἡ ποίησις οὐχὶ συντέθνηκέ μοι· τούτῳ δὲ συντέθνηκεν, ὥσθ' ἕξει λέγειν.* Sed his ipsis locis populiscitum quoddam, quo Athenienses tanto honore dignum Aeschylum habuere, ut tragoedias eius docentibus praemium decernerent, originem debere existimo. Istius populisciti scholiasta Aristophanis (ex *Didymi* commentariis me iudice) ad verba modo transcripta mentionem fecit, et vitae narrator (*Didymus*) de eodem haec rettulit §. 13: *Ἀθηναῖοι δὲ τοσοῦτον ἠγάπησαν Αἰ-*

tis comoed. antiq. Aeschylum, dum in vivis versatur, has fabulas ad commendandum filium docendas ei tradidisse suspicatur: sed obstat numerus (quattuor tetralogiae sive sedecim fabulae), obstat etiam simplex et verus intellectus Suidae verbis subiectus, adversatur rei ratio a nobis exposita.

1. Argum. Medeae Aristophanis Byz.: *ἐδιδάχθη ἐπὶ Πυθοδώρου ἄρχοντος κατὰ τὴν ὀγδοηκοστὴν ἑβδόμην Ὀλυμπιάδα. πρῶτος Εὐφορίων, δεύτερος Σοφοκλῆς, τρίτος Εὐριπίδης. Μήδεια, Φιλοκτήτης, Δίκτυς, Θερισταὶ σάτυροι. οὐ σώζεται.* etiam haec notitia praeclara a scholiasta Euripidis non ex ipso scripto Aristophanis, sed ex commentariis Didymi haud dubie recepta est.

σχύλον ὡς ψηφίσασθαι μετὰ θάνατον αὐτοῦ τὸν βουλόμενον διδάσκειν τὰ Αἰσχύλου χρυσὸν λαμβάνειν. Athenienses vero neque tam iniqui erant, ut tanta licentia in alienam possessionem invadi praemio proposito hortarentur, neque pecuniae publicae tam prodigi, ut alienas opes dispensaturo eam largirentur, neque novarum fabularum tam indigi aut fastidiosi, ut veteres spectare aut acquiescerent aut mallent. Nec vero alii tragoediarum scriptores, veluti Sophocles et Euripides, tam stulti fuerunt, ut suas tragoedias in certamen committerent cum illis, quibus victoria iam ante certamen quodammodo decreta erat. Immo *veterem* quampiam Aeschyli fabulam cum Sophocliis Euripideisve unquam commissam esse, quamdiu Sophocles et Euripides in vivis fuere, nullo ac ne levissimo quidem indicio, excepta narratiuncula de insano isto populiscito, probari potest. Sed paucis absolvendum restat, quomodo narratio ipsa progressu temporis mutata emerserit. Quintilianus X 1 66: *Tragoedias primum in lucem Aeschylus protulit, sublimis et gravis et grandiloquus saepe usque ad vitium, sed rudis in plerisque et incompositus; propter quod correctas eius fabulas in certamen deferre posterioribus poetis Athenienses permisere, suntque eo modo multi coronati.* Secundum hanc narrationis speciem non ob eximiam Aeschyli existimationem fabulae eius repetitae sunt, sed ut ex illustribus recens natae artis monumentis vitiositas nescio quae removeretur. Magis mira sunt et plane incredibilia quae Philostratus narrat in Vita Apollonii VI 11: *ἐκάλουν δὲ (οἱ Ἀθηναῖοι) καὶ τεθνεῶτα ἐς Διονύσια· τὰ γὰρ Αἰσχύλου ψηφισαμένων ἀνεδιδάσκετο, καὶ ἐνίκα ἐκ καινῆς.* Philostratus moris Attici parum memor sic rem se habuisse opinatus est, ut cum *διδασκαλία* aliqua Aeschyli defuncti agenda esset, praeco clamaverit *εἴσαγ', ὦ Αἰσχύλε, τὸν χορόν.* Hoc est illud *τεθνεῶτα καλεῖν ἐς Διονύσια.* Praeco vero umbram nihil curavit, sed eius nomen proclamavit, quem archon ad docendum admiserat.

Non magis vera sunt quae vitae narrator de alio honore Aeschyli prodidit: *εἰς τὸ μνῆμα δὲ φοιτῶντες ὅσοις ἐν τραγῳδίαις ἦν ὁ βίος, ἐνήγιζόν τε καὶ τὰ δράματα ὑπεκρίνοντο.* Nempe apud ipsos Siculos, ubi Aeschylus sepultus, nulli tragoediarum

scriptores fuere, neque Attici studio tam inani indulsere, ut magnum iter et periculosum ob eam rem susciperent. Haec ad celebrandam insignis viri memoriam excogitata similia sunt iis, quae de divinis caerimoniis Sophocli publice decretis Didymus in vita eius ex Istro narravit §. 13.

Vita absoluta de numero fabularum ab Aeschylo compositarum deque victoriis eius hic noster §. 14: *ἐποίησε δράματα ἑβδομήκοντα καὶ ἐπὶ τούτοις σατυρικὰ ἀμφὶ τὰ πέντε. νίκας δὲ τὰς πάσας εἴληφε τρισκαίδεκα· οὐκ ὀλίγας δὲ καὶ μετὰ τὴν τελευτὴν ἀπηνέγκατο.* In his mirationem faciunt quae de numero dramatum satyricorum notantur: numerus enim cum per se iusto minor esse, tum victoriis ab Aeschylo relatis parum videtur respondere. Possis corrigere *δέκα πέντε* pro *πέντε*, possis suspicari cum Welckero plures ex fabulis satyricis Aeschyli non diu superstites fuisse. Verum enim vero a priore coniectura revocat quod in titulis fabularum Aeschyli ne quinque quidem dramata satyrica tuto designare possumus, sed vir in his quaestionibus versatissimus, Welckerus noster (cf. *Tragoedia Graeca ad eycl. ep. dispos.* p. 29—31), interim tribus acquiescere voluit; alteram opinionem dissuadet haec cogitatio, quod, quamvis fabulae satyricae interissent, si minus omnes, at plures quam quinque nomine tenus in didascalicis notationibus perscriptae fuissent. Inde ad Didymum propagari debuerunt. Itaque credere praeplacet ab Aeschylo re vera paulo plus quam quinque dramata satyrica (*ἀμφὶ τὰ πέντε*) haud composita esse, atque tetralogiarum docendarum morem, Phrynicho et Choerilo nondum usurpatum [1]), ne ab Aeschylo quidem statim adhibitum sed tem-

1. Welckerus noster Tragoed. Gr. t. I p. 27: *dass Phrynichos nicht Trilogieen von Dramen, schon vor Aeschylus, dichtete, ist an sich und nach mehreren seiner Titel, auch nach der Vergleichung seiner Phönissen insbesondre, nach dem was von ihnen bekannt ist, mit Aeschylus zu glauben.* sed Phoenissas singularem tragoediam Phrynichus docuit Olymp. 75 4, h. e. triginta quinque annis post quam in certamen primum (Olymp. 67 1) sese accinxerat, ac fabula eius recentior Phoenissis nulla cognita est. Choerilus Phrynicho prius aliquanto fabulis docendis innotuerat. qui cum per totam vitam singulis fabulis certaverint sive satyros sive tragoedos producentes, Aeschylus autem per longum temporis spatium hos concertatores praecipuos nactus sit (cum Phrynichi Phoenissae docebantur, Aeschylus iam annum quadragesimum octavum aut certe quadragesimum quintum age-

poris progressu demum inventum esse et Atheniensibus approbatum. Numerum septuaginta tragoediarum a scholiasta Aeschyli Didymoque ex Aristophane Byzantio petitum esse coniicio. Conf. p. 52. Welckerus quidem l. c. octoginta titulos fabularum Aeschyli connumeravit, sed de his detrahendae sunt primum quinque satyricae vel paulo plures, tum *Αἰτναῖαι νόθαι*, denique aliae parum certae, veluti *Κύκνος*, *Προμηθεὺς πυρκαεὺς* praeter *πυρφόρον* admissus, ut numerus ille ad veritatem quam proxime accedere videatur.

A §. 15 usque ad 17 de arte scenicisque inventis Aeschyli disputatur, quae ut minus memorabilia in pluribus codicibus desiderantur ac primum a Robortello publici iuris facta sunt. Quae docentur pertinent ad externam scenae personarumque in eam adductarum speciem ab Aeschylo cultam et auctam, ad histriones ab eo in tragoediam ascitos; postremo comparatio Sophoclis et Aeschyli instituitur. Fini commentationis (§. 18) scholiasta Aeschylius duo reservavit, quibus quomodo ante aptum locum assignaret non invenit. Horum prius alterum epigramma est et brevius, quod Aeschyli monumento (apud Siculos) insculptum ferebatur. Fortasse Didymus hoc neglexerat aut ex alio auctore statim post prius recitaverat. Idem notitiam de Persis Syracusis iterum datis, ubi egit de Siculo itinere, videtur perscripsisse et ad Eratosthenem auctorem rettulisse: scholiasta brevitati prospiciens utramque notationem in finem amandavit.

bat), ipsum quoque singulis fabulis diu contentum fuisse certum videtur. idem postquam magis profecerat usuque et annis didicerat quod optimum artis genus esset, tetralogias componere aggressus est. fortasse primam tetralogiam dedit Olymp. 76 4, cum Persas et Phineum et Glaucum Potniensem atque Prometheum igniferum in scenam attulit. v. argumentum Persarum: *ἐπὶ Μένωνος τραγῳδῶν Αἰσχύλος ἐνίκα Φινεῖ, Πέρσαις, Γλαύκῳ Ποτνιεῖ, Προμηθεῖ* ceterum ad hanc de tetralogiis et singulis fabulis quaestionem redituri sumus in tertio capite quaestionis quartae ac non nihil de eodem litterarum loco monetur in annotatione ad §. 16 Vitae Aeschyli.

VI.

De altero tertioque vitae Aeschyli fragmento.

Quemadmodum prior pars et longe gravior commentationis Aeschyliae, si recte conieci, ex scripto hominis litterati ac paulo ante initium aerae novae multiplici scientia florentis excerpta est, sic altera originem ducit ex *Musica historia Dionysii*, qui saeculo amplius post vixit imperante Hadriano, patria ortus Halicarnasso, auctor μουσικῆς ἱστορίας triginta sex libris absolutae. Suidas s. v. Διονύσιος: ἔγραψε μουσικῆς ἱστορίας βιβλία λϛ'. ἐν δ' τούτοις αὐλητῶν καὶ κιθαρῳδῶν καὶ ποιητῶν παντοίων μέμνηται. Conf. idem s. v. Ἀντιφάνης et Ἡρωδιανός, Stephanus Byz. s. v. Ὑδρέα, scholiasta Aristidis p. 537 ed. Dindorf., Anonymus Parisiensis Crameri περὶ κωμῳδίας t. I vel apud Meinekium ad *Fragmenta com. antiq.* II p. 1240, Meinekius in *Histor. crit. com.* p. 16 et 608. Operis index, quamvis omisso nomine auctoris, luculente consignatus et subsequenti fragmento praepositus est verbis illis ἐκ τῆς μουσικῆς ἱστορίας, ut egregie primus vidit Naekius ὁ μακαρίτης. Ante perperam et inepte iungebantur καὶ λίαν εὐδοκιμῆσαι ἐκ τῆς μουσικῆς ἱστορίας. Vid. Naekii *Opuscula* t. I p. 201. Sententiam Naekii comprobavit codex Gudianus, ut suo loco relatum est. Quo argumento fragmentum quod subiectum est (§. 19—20) ad Dionysii Historiam musicam referendum duxi. Nam quamvis etiam *Rufus* ἱστορίαν δραματικὴν vel μουσικὴν conscripserit, quo tertio post Christum saeculo Caracalla ferme principe *Sopater Sophista* in Eclogarum libro quarto et quinto usus est (cf. Photii Bibl. cod. 161 p. 103 B 16 et 34 ed. Bekk.), tamen et subsistere in scriptore magis noto praestat, et quae Anonymus Parisiensis de Comoedia ex Dionysio aliisque electa profert, haec, quamvis in alio genere, non absimilia sunt iis, quae scholiasta hic noster tam de tragoedia generatim quam de arte tragica Aeschylia proposuit. Posthac quae sequuntur observationes et vulgares et ad rem propositam minus pertinentes (§. 21—22), eas ab Aeschyli scholiasta ex suis opibus additas esse puto.

QUAESTIO QUARTA DE VITA EURIPIDIS.

I.

De vita Euripidis ex Didymi commentariis, ut videtur, excerpta.

Scholia fabularum Euripidis ad nostram aetatem conservata, praecipue illa quae doctrina et copia lectionis eminent, cum maximam partem ex Didymi commentariis Euripideis (conf. p. 39) excerpta sint, ab eodem quin etiam vita quaedam Euripidea composita sit atque ὑπομνήμασιν Euripidis praemissa, dubitari nequit. Iam vita illa Euripidea, quam Elmsleii diligentia ex codice Ambrosiano descriptam et Rossignolii cura ex libro Parisiensi egregio supplemento auctam cognovimus, memorabile veteris doctrinae specimen, cum iis virtutibus excellat, quibus annotationes Euripidis fabularum aut disertim ex Didymo transcriptae aut probabiliter ei vindicandae splendent, hoc indicio cogitatio ducitur ad Didymum vitae Euripidis auctorem. Quae coniectura aliis quibusdam signis argumentisque confirmatur. Nam vitae narratorem satis antiquum esse praeter cetera ostendunt verba eius (§. 8): τὰ πάντα δ' ἦν αὐτῷ δράματα ϟβ', σώζεται δὲ οη'. τούτων νοθεύεται τρία, Τέννης, Ῥαδάμανθυς, Πειρίθους. Quippe nonaginta duas fabulas Euripidis fuisse ab aliis acceperat (fortasse Callimachus et Aristophanes Byzantius tot ex notationibus didascalicis connumeraverant), septuaginta octo ipse etiamtum vidit. Ex superstitibus tres suppositicias notari monet earumque nomina continuo adscribit. Haec Didymo grammatico temporibus Antonii triumviri et Caesaris Augusti Alexandriae degenti et superstites Euripidis tragoedias oculis suis in bibliotheca Alexandrina perlustranti optime conveniunt. Quae ab Euripidis interitu usque ad Augusti principatum fere quattuor saeculorum decursu interciderant dramata quattuordecim, in eorum numero satyrica plura fuisse puto, quippe quae tanquam leviora minus aestimarentur et anquirerentur. Certe Θεριστὰς fabulam satyri-

cam Euripidis iam desideravit is, qui trilogiam Medeam, Philoctetam, Dictyn, cui fabula illa satyrica olim successerat, integram etiamtum legit. Hunc autem neminem nisi Didymum fuisse supra (p. 85 annot. 1) monitum est. Illa igitur, quae ex vita Euripidea modo transcripsi, a Didymo minime abhorrent: de antiquiore quodam nemo facile cogitaverit, atque recentior edi vix poterit, cui haec tam probabiliter attribuantur. Ad vestigia Didymi testes suos diligenter percensentis nos ducunt Philochorus et Eratosthenes laudati, eundem doctum Aristophanis comici commentatorem et in comoediis tragoediisque bene versatum arguit hoc, quod magna pars vitae ex dictis Aristophanis petita et composita est, quod Teleclides veteris comoediae poeta et verba quaedam ex fabula eius memorantur, quod quattuor exquisita poematum fragmenta, neque ex fonte antiquiore ullo cognita, unum Thucydidis, alterum Aristophanis, tertium Euripidis, quartum Philemonis [1], recitantur. Neque vero deest (§. 4) insigne exemplum eius sive negligentiae sive festinationis, quam in Didymo aliquotiens ante deprehendimus. Quode dicemus in tertio huius quaestionis capite. Restat argumentum, cui equidem multum tribuendum esse puto. Scilicet in scholiis Aristophanis, ex Didymi commentariis magnam partem ductis, pluribus locis ea leguntur, quae traditis in vita Euripidis adeo consentiunt, ut quae diversis locis narrata reperiuntur unum auctorem designare videantur. Conferre igitur velis, lector, quae in vita §. 12 narrantur de *Cephisophonte* servo Euripidis cum scholiis ad Ranas Aristophanis 975 et 1455, tum quae in vita §. 7 de *iuniore Euripide* referuntur cum scholiis Ranarum ad v. 76, deinde quae in principio vitae traduntur de *Clito matre* Euripidis cum scholiis Acharnensium 456, Equitum 19, Ranarum 864 et 1501. Quae scholia cum omnia ex Didymi commentariis excerpta esse scholiorum Aristophanicorum dispositio et ratio approbet, uni tamen (Ran. 1501) etiam nomen eius disertim praepositum est: τὰς δ' ὀξί-

1. Epigramma Thucydidis et versus Philemonis ante detectas novas opes ex Thoma Magistro et vita Euripidis ex codice Vindobonensi edita cognovimus (epigramma Thucydidis etiam in libro Havniensi legitur), sed hae vitae ex pleniore Didymi opusculo ipsae magnam partem detortae sunt.

δας Κηφισοφῶν: Δίδυμος· πόρρωθεν ἐκ λαχανοπωλιδός φησι τὸν Εὐριπίδην διὰ τὰς ὀξίδας. Nam Didymi nomen ibi reponendum est pro vulgato Τιμόθεος, quo nomine nullus unquam cognitus est interpres Aristophanis.

Quibus signis si Didymi esse vitam Euripidis probabiliter agnoscimus, rursus bene hoc tenendum est, scholiastam Euripidis, qui haec ex Didymo excerpsit, in priore parte (§. 1 – 7) sibi sumpsisse, ut nomina auctorum testiumque a Didymo laudata omitteret atque inutilis doctrinae quae illi videbatur vestigia deleret, in locum vacuum isto suo φασὶ vel λέγεται reposito (§. 2, 5, 7). Cetera vero integra transcripta videntur, testibus accurate editis et tantum in incerta fama ex comoediis repetita λέγουσι adhibito (§. 10, 13).

II.

De auctoribus in vita Euripidea consultis.

Euripides propius accedit ad id tempus, quo non solum de rebus civitatium sed etiam de singulorum hominum moribus factisque scribi coeptum est. Ex hac aetate propiore etiam monumenta didascalica plenius servata fuisse, quam ex eo tempore quo Aeschylus et iuvenis Sophocles certaverunt, naturae et rationi rei publicae Atheniensium utique consentaneum videtur. Itaque in Euripidis Vita primum accidit, ut primi certaminis annum et fabulam accurate consignata reperiamus (§. 8), quae in Sophoclis et Aeschyli Vitis frustra circumspicimus. Hunc annum et fabulae tunc datae nomen, ab *Aristotele* primum ex publicis monumentis in theatro Atheniensi asservatis enotatum [1]), non ex fonte principali, sed ex *Aristophane* suo (conf. p. 52) Didy-

1. In libro cui nomen περὶ διδασκαλιῶν, quode conf. Casaubonus ad Athenaeum VI p. 235 E, Boeckhius *Corp. Inscr.* t. I p. 350, Rankius *de Aristophanis vita* p. CXXXI sqq., Hanovius in *Exercitationum critic. in comicos Gr.* libro I p. 19 sqq.

mus videtur recepisse. Hoc certe ultra omnem dubitationem positum est, loco designato fragmentum notationis didascalicae et ab Aristotele profectae servatum esse.

Aristoteli aetate suppar fuit Theopompus Chius, natus ante Christum anno 378 et superstes etiam an. 305 [1]), qui duodecim *Hellenicorum* libris septendecim annos ab eo inde tempore ubi desiit Thucydides (Olymp. 92 2=411) usque ad praelium navale Cnidium (96 3=394) amplexus est. Idem mox duodesexaginta libris *Philippicorum* universalem sui temporis historiam ab Olymp. 105 1 sive anno 360 ante Chr. exorsus conscripsit. Cf. Diodor. XIV 84, XVI 3 et 71, Phot. Bibl. cod. 176. Theopompus aut in Hellenicis in rebus eius anni quo Euripides vita decessit, aut in Philippicis, data occasione in Archelai regis Macedonum mentionem egressus, narravit quo loco natus esset Euripides. Gellius XV 20: *Euripidi poetae matrem Theopompus agrestia olera vendentem victum quaesisse dicit.* Quae ibidem sequuntur (§. 2—4), haud dubie ex eodem fonte [2]) ducta sunt: *Patri autem eius nato illo responsum est a Chaldaeis, eum puerum cum adolevisset victorem in certaminibus fore: id ei puero fatum esse. Pater interpretatus athletam debere esse, roborato exercitatoque filii sui corpore Olympiam certaturum eum inter athletas pueros deduxit. Ac primo quidem in certamen per ambiguam aetatem receptus non est. Post Eleusinio et Theseo certamine pugnavit et coronatus est. Mox a corporis cura ad excolendi animi studium transgressus auditor fuit physici Anaxagorae et rhetoris Prodici, in morali autem philosophia Socratis. Tragoediam scribere natus annos duodeviginti adortus est. Philochorus refert* cet. Ecce, lector, fontem habemus eorum quae in vita Euripidis sub para-

1. Conf. Clintoni Fast. Hell. t. II p. 374 vel apud Krügerum t. I p. 385. Pflugk *de Theopompi vita et scr.* Berol. 1827.

2. Testium ratio sive auctorum per illud caput libri consultorum exscriptorumque a Gellio haec est: paragraphos quattuor priores Theopompo debet, quanquam orationem *obliquam* ut nimis ingratam a §. 2 reliquit transgrediens ad *rectam*. ad alterum fontem (Philochorum) pervenit §. 5 verbis *Philochorus refert*. hunc mittit §. 6 idque illatis illis *fuisse dicitur* subindicat, poetas comicos Aristophanemque secutus §. 6 et 7. mox (§ 8) Alexandrum Aetolum testem inducit, atque ex eodem quae de fine Euripidis duabus reliquis paragraphis (9 et 10) tradit, fortasse hausit.

graphis tribus prioribus exponuntur: sed nomen Theopompi ab epitomatore, qui in priore parte vitae licenter grassatus est, deletum et pro eo *φασὶν* (§. 2) substitutum est. Didymus autem quanquam nonnulla eorum quae modo designavimus ab isdem repetere potuit, unde nonnihil etiam Theopompus sumpsit, poetas comicos dico, tamen credi vix potest, ab eo qui Philochorum Theopompo refragantem religiose consuluit (§. 9), Theopompum plane neglectum fuisse. Accedit quod utriusque narrationis nimia est similitudo, quam ut statui possit posteriorem ex priore non excerptam esse. Fortasse Theopompus ut contraria componeret, obscuram et humilem Euripidis originem cum splendida eius dignitate et honoribus in aula Archelai regis acceptis oratorie pro more suo exornavit, idemque puerum athletam bovina carne [1]) nutritum et dure exercitatum cum poeta tenerrimo mollique, qualis praeter exspectationem patris mox evasit, videtur composuisse.

Theopompo aliquanto posterior Philochorus (conf. p. 10) de Euripide scripsit, isque aut in commentatione *περὶ Εὐριπίδου* a Suida in scriptis Philochori memorata [2]), aut quod ego credere malim in *Ἀτθίδος* opere oblata occasione de Euripidis genere vitaque nonnulla absolvere voluit. Hunc ego puto sese opposuisse calumniis fabellisque de origine Euripidis ab Aristophane primum dispersis, dein a Theopompo serio divulgatis, ubi illa exposuit, de quibus Suidas s. v. *Εὐριπίδης* et Moschopulus in vita Euripidis: *οὐκ ἀληθὲς δὲ ὡς λαχανόπωλις ἦν ἡ μήτηρ αὐτοῦ· καὶ γὰρ τῶν σφόδρα εὐγενῶν ἐτύγχανεν οὖσα, ὡς Φιλόχορος ἀποδείκνυσιν.* Quod testis tam eximius semel tantum advocatur in aetate Euripidis definienda (§. 9), id Didymo vitio verti non debet, sed eius potius culpa est, qui priorem vitae partem mutilavit. Nam omnia illa quae §. 5 extrema legimus, *γενέσθαι δὲ*

1. Attendendum ad Gellii vocem *roborato exercitatoque filii sui corpore*, et conferendum illud Platonicum in *Civitate* I p. 338 C.

2. Welckerus in *Tragoed. Gr. ad cyclum ep. disp* p. 95 Suidae verba *περὶ Εὐριπίδου* bene coniicit intelligenda esse *περὶ Εὐρ. μύθων*: nam *περὶ τῶν Σοφοκλέους μύθων βιβλία ε'* Philochori idem Suidas recenset. utramque scriptionem nomine *ἐν τῷ περὶ τραγῳδίας συγγράμματι* iungit Argum. Hecubae codicis Havniensis.

αὐτὸν (φασὶ) καὶ πυρφόρον τοῦ ζωστηρίου Ἀπόλλωνος· γεννηθῆναι δὲ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ καὶ Ἑλλάνικον ἐν ᾗ ἐνίκων τὴν περὶ Σαλαμῖνα ναυμαχίαν οἱ Ἕλληνες· ἄρξασθαι δὲ ἀγωνίζεσθαι γενόμενον ἐτῶν εἰκοσιέξ, haec omnia Philochoro debentur. Raram enim et memorabilem notitiam de Euripide ignifero Apollinis Zosterii, quae nonnisi ab antiquo et pererudito teste proficisci potuit, ad quem potius referemus quam ad Philochorum, harum rerum, quae spectant ad cultum deorum in terra Attica, acerrimum exploratorem? Zoster enim isthmus sive promontorium, in occidentali littore terrae Atticae prope pagum Halas Aexonides situm, antiqua religione Latonae eiusque liberorum celebrabatur. Quippe Latonam dicebant, Iunonis ira percitam, in longo suo errore huc delatam soluta zona in proximo mari lavasse, mox in Delo peperisse [1]). Nisi egregie fallor, diligentissimus Philochorus his ipsis vestigiis insistendo invenit illud, *Εὐριπίδην τῶν σφόδρα εὐγενῶν* fuisse. Nam ratione et via hoc demonstravit (*ἀποδείκνυσι* Suidas dicit) et opinionem vulgi refutavit. Puto autem Philochorum admonuisse *πυρφόρους Ἀπόλλωνος Ζωστηρίου* nonnisi ex pueris nobilium delectos esse, atque Euripidem, qui eo officio in pueritia functus sit, nobili loco natum esse vel hoc argumento monstrari. Hinc simul cognoscimus, cui pago parentes Euripidis *rure degentes* adscripti fuerint. Erant *Halaeenses Aexonenses* [2]) tribus *Cecropidis*, atque Halis nobilis

1. Etymol. magn.: *Ζωστὴρ . . . καὶ τόπος τῆς Ἀττικῆς . . . καὶ Ζωστήριος Ἀπόλλων παρὰ Ἀθηναίοις τιμώμενος.* Stephanus Byz. *Ζωστὴρ τῆς Ἀττικῆς ἰσθμός, ὅπου φασὶ τὴν Λητὼ λῦσαι τὴν ζώνην καὶ* (coniunctionem vere inserit Meinekius in *Analectis Alexandr.* p. 122) *καθεῖσαν ἐν τῇ λίμνῃ λούσασθαι. ἐνταῦθα θύουσιν Ἁλαιῆς* (hoc pro corrupto *ἁλιεῖς* restituendum vel cum Meinekio l. c. *Ἁλαιεῖς* scribendum) *Λητοῖ καὶ Ἀρτέμιδι καὶ Ἀπόλλωνι Ζωστηρίῳ.* conf. Stephan. s. v. *Τεγύρα.* Pausanias I 31 1. Meinekii copiae l. l.

2. Praeter *Ἁλὰς Αἰξωνίδας* alter pagus *Ἁλαὶ Ἀραφηνίδες* tribus Aegeïdis non procul a Marathone fuit. v. Stephan. Byz. s. v. *Ἁλαὶ* ibique interpretes. etiam in Boeotorum terra prope Euboeam oppidum *Ἁλαί*, de quo Pausan. IX 24 5, Stephan. s. v. eas Halas Euripides celebravit Iphigen. Tauricensi 1449—1461. hinc famam a Suida et Moschopulo memoratam explicari posse credo, iuxta quam parentes Euripidis ex Boeotis in terram Atticam immigrasse dicuntur: *Εὐριπίδης Μνησάρχου ἢ Μνησαρχίδου καὶ Κλειτοῦς, οἳ φεύγοντες εἰς Βοιωτίαν μετῴκησαν, εἶτα ἐν τῇ Ἀττικῇ.* scilicet in hac narratione pro Halis Atticis de Boeoticis auctor eius perperam cogitasse videatur.

tragoediarum scriptor educatus est. Sed redeo ad Philochorum. Simulatque huius curiosa diligentia notitiam de Apolline Zosterio conservatam esse probe intelleximus, sponte consequitur nulli meliore iure vindicari posse quae eiusdem structurae vinculo succedunt: atque horum posterius de aetate Euripidis, quando primum fabulam in scenam commiserit, ita comparatum est, ut Philochorum prae ceteris deceat [1]), quemadmodum in comparationem vocanti §. nonam vitae Euripidis liquido patebit. Iam quod medium interiectum est de tempore, quando natus sit Hellanicus, item Philochori admonitionem esse apparet. Aliam notitiam Philochori de specu Euripidis in insula Salamine frequentato, ut hominum turbam fugeret et grato silentio frueretur, noster vitae narrator omisit, servavit autem Philochoro teste laudato Gellius XV 20: *Philochorus refert in insula Salamine speluncam esse tetram et horridam, in qua scriptitavit.* Vita codicis Vindobonensis et Havniensis: *φασὶ δὲ αὐτὸν ἐν Σαλαμῖνι σπήλαιον κατασκευάσαντα ἀναπνοὴν ἔχον εἰς τὴν θάλασσαν ἐκεῖσε διημερεύειν φεύγοντα τὸν ὄχλον.* Alio loco vita Havniensis *αἱ δὲ γυναῖκες ἐβουλήθησαν αὐτὸν κτεῖναι εἰσελθοῦσαι εἰς τὸ σπήλαιον, ἐν ᾧ γράφων διετέλει.*

Philochoro non multum aetate posterior *Alexander Aetolus*, qui floruit Olymp. 125 (conf. Meinekii *Analecta Alexandr.* p. 215—251), de vita et poesi Euripidis carmen scripsit versibus anapaesticis, cuius fragmentum elegantissimum Gellius l. c. exhibet: *Alexander autem Aetolus hos de Euripide versus composuit*:

Ὁ δ' Ἀναξαγόρου τρόφιμος χαιοῦ στρυφνὸς μὲν ἔμοιγε προσειπεῖν,
Καὶ μισογέλως, καὶ τωθάζειν οὐδὲ παρ' οἶνον μεμαθηκώς,
Ἀλλ' ὅ τι γράψαι, τοῦτ' ἂν μέλιτος καὶ Σειρήνων ἐτετεύχει [2]).

1. Philochorus Euripidem in certamen primum descensurum viginti sex annos natum exhibendo fortasse respexit et refellere voluit Theopompum, qui mirum et incredibile narraverat, Euripidem anno duodevicesimo fabulas docere aggressum esse. conf. dicta pag. 93 sq.

2. De emendando insigni hoc frustulo bene meritus est Valckenarius ad Euripidis Phoenissas p. 588 (452); cf. Meinekii *Anal. Alexandr.* p.

Ex eodem poemate ductum illud est, quod ad Aristophanis Ran. 864 (840) ἄληθες, ὦ παῖ τῆς ἀρουραίας θεοῦ; eius scholiasta (ex Didymi commentariis) annotavit: ὅτι δὲ λαχανοπώλιδος υἱὸς ἦν ὁ Εὐριπίδης, Ἀλέξανδρός φησιν. Alexander hic laudatus haud dubie Aetolus est, non ille de quo Diogenes IX 24 Ἀλέξανδρος ἐν ταῖς τῶν φιλοσόφων διαδοχαῖς (cf. I 116, II 19 et 106, III 4 et 5, IV 62, VII 179), qui nihil ad Euripidem Aristophanemque pertinet. Inde igitur edocemur, Alexandrum Aetolum non paucos versus de Euripide scripsisse, sed varia ex vita eius moribusque delecta in poematio anapaestico pertractasse, praeter alia etiam famam illam de matre λαχανοπώλιδι, quam ipse a comicis et a Theopompo rerum scriptore acceperat. Iam quod hic noster vitae narrator (§. 7) posuit, λέγεται δὲ καὶ βαθὺν πώγωνα θρέψαι καὶ ἐπὶ τῆς ὄψεως φακοὺς ἐσχηκέναι, hoc non solum ex Aristophanis Thesmophor. 160 et 190 petitum esse, sed etiam imagini Euripidis ab Alexandro poeta exhibitae deberi coniicio. Fortasse pro λέγεται in vita Didymi non mutilata Alexandri nomen olim fuit: certe scriptum Alexandri Didymo non ignotum fuisse verba ex scholiis Aristophanicis supra posita ostendunt.

Sequitur *Hermippus* ab Alexandri temporibus non longe remotus: vid. p. 13. Qui cum ab Athenaeo VII p. 327 C ἐν τοῖς περὶ Ἱππώνακτος laudetur, idemque in vita altera codicis Havniensis et in ea quam liber Vindobonensis suppeditat narratiunculam de Dionysio tyranno (intelligendus est Dionysius aetate maior) Euripidem mortuum insigni veneratione colente exsequatur, hunc aut in peculiari scripto aut in parte operis περὶ βίων etiam de poetis egisse probabiliter censebimus. Narratio quam dixi haec est: λέγει δὲ καὶ Ἕρμιππος, Διονύσιον τὸν Σικελίας τύραννον μετὰ τὴν τελευτὴν τοῦ Εὐριπίδου τάλαντον τοῖς κληρονόμοις αὐτοῦ πέμψαντα λαβεῖν τὸ ψαλτήριον καὶ τὴν δέλτον

247 sq. χαιός est *nobili genere divesque*. pro ἔμοιγε vulgo legitur ἔμοιγε ἔοικε, sed Valckenarius ἔοικε duce codice Franeq. delevit idem χαιοῦ scripsit pro ἀρχαίου. ἔμοιγε est *mihi viri imaginem animo intuenti*. ceterum in vita codicis Havniensis et Vindobonensis, item apud Thomam Magistrum pro *Alexandro* per errorem *Aristophanes* auctor dicti στρυφνὸς ἔμοιγε προσειπεῖν Εὐριπίδης perhibetur.

καὶ τὸ γραφεῖον, ἅπερ ἰδόντα κελεῦσαι τοὺς φέροντας ἐν τῷ Μουσῶν ἱερῷ ἀναθεῖναι, ἐπιγράψαντα τοῖς αὐτοῦ Εὐριπίδου (lege *τοῖς αὐτοῦ καὶ Εὐριπίδου*) *ὀνόμασιν. διὸ καὶ ξενοφιλώτατον κεκλῆσθαί φησι διὰ τὸ μάλιστα ὑπὸ ξένων φιλεῖσθαι· ὑπὸ γὰρ Ἀθηναίων ἐφθονεῖτο.* Etiam quod ibidem continuo subsequitur ex Hermippo transcriptum videtur: *μειρακίου δέ τινος ἀπαιδευτοτέρου στόμα δυσῶδες ἔχειν ὑπὸ φθόνου αὐτὸν εἰπόντος, "εὐφήμει", ἔφη, "μέλιτος καὶ Σειρήνων γλυκύτερον στόμα."*

De duabus mulieribus Euripidis narratiunculam (§. 7 et 12) unde acceperit Didymus sive narrator vitae, haud compertum mihi est: suspicor tamen acceptam hanc referri aut *Hieronymo Rhodio,* quem in *Commentariis historicis* egisse de moribus Sophoclis et Euripidis supra vidimus p. 47—49, aut *Satyro peripatetico,* quem in suo *βίων* corpore etiam Euripidis vitam enarravisse satis credibile videtur. Conf. de Satyro quae dixi p. 52—54. Cur de his praecipue cogitem, ea causa, quod uterque de bigamia quae fertur Atheniensium plura prompsit, quodque fama de lascivis Euripidis mulieribus cum hac causa coniuncta est. Sed hac de re proximo capite accuratius explicabimus. Quodsi Didymus aut Hieronymum aut Satyrum testem laudavit, nomen alterutrius §. 7 a scholiasta expunctum est. Hinc res iam in vado est: nam quae a §. 8 usque ad finem commentationis absolvuntur, eorum fons aut minime obscurus est aut ab auctore diligenter commonstratus. Quippe notitiae §. 8 comprehensae ex didascaliis emanavere. Quae sequuntur (§. 9), ad testes Philochorum et Eratosthenem [1]) et antiquum epigramma referuntur. Dehinc quae narrantur (§. 10—13), ex poetis comicis sive recepta sunt sive repetita ac detorta. Philemonis laudem Euripidis (§. 14) ex aliqua comoediarum ipsius sumptam esse liquet.

1. Eratosthenes aut in *Χρονογραφίαις* suis aut in libris de comoedia conscriptis in ea huius operis disputatione, qua de Ranis Aristophanis egit, aetatem Euripidis definivit. conf. p. 64 sqq.

III.

Aestimatio vitae Euripideae.

De Euripidis vita ut perpauca quae fide digna essent ad posteros traderentur, duobus incommodis effectum est, ex quibus unum in Sophocle et Aeschylo supra cognovimus. Nam sors Euripidis et Aeschyli in tantum similis fuit, quod uterque in peregrina terra et procul ab oculis civium suorum ex vita cessit. Quo factum est, ut vera discessus causa mox in oblivionem abiret, ut de extremis ipsorum fabulosa et mirabilia rumoribus spargerentur. Alterum incommodum quod significavi, Euripidi cum Sophocle commune fuit. Nam et ipse decessit iis temporibus, quibus res publica Atheniensium summis periculis circumdata cum multis acribusque hostibus depugnavit, quo clades bellica alia post aliam civitatis exercitatae vires confregit. Quod temporis spatium proxime antecessit, per illud expeditio Sicula et calamitas inde consecuta hominum animos ita occupavit, ut egregia poetarum scenicorum opera festis Bacchi diebus etiamtum spectarent quidem, sed mox maioribus curis abrepti auctores operum minus respicerent et curarent. Aequales rerum scriptores Thucydides et Xenophon neque de Sophocle neque de Euripide in scriptis suis verbum protulerunt. Ex rerum scriptoribus Theopompus primus fuit, qui de origine Euripidis eiusque institutione nonnulla memoriae prodidit. Sed hoc saltem dimidio saeculo post factum est, cum etiam ex filiis Euripidis nemo in vivis versaretur. Itaque quae Theopompus de Euripide litteris consignavit, ea iam admodum incerta et magnam partem fabulosa fuere, ut ex fragmento a nobis ante proposito patuit. Scilicet et Theopompus et qui post de Euripide scripsere, sua ex fama populari iocisque poetarum comicorum et epigrammatis in laudem Euripidis compositis hauserunt. Eximendus est tamen ex horum numero Philochorus, qui certa rerum vestigia secutus nonnulla fide digna de origine Euripidis unus conservavit. Inde ab Eratosthene etiam notationes didascaliarum ad tempora accuratius

definienda cum fructu adhibitae sunt. Iam ad singula diligentius examinanda et exploranda accedimus.

Statim principium vitae, *Εὐριπίδης ὁ ποιητὴς υἱὸς ἐγένετο Μνησάρχου καπήλου καὶ Κλειτοῦς λαχανοπώλιδος*, totum auctore Aristophane vel potius coniectura ex verbis Aristophanis imperite ducta nititur. Ipse enim Aristophanes de matre Euripidis nihil pronuntiavit nisi hoc, agresti operi hortisque colendis deditam illam fuisse et fructus operae suae venum dedisse. Eo bis respexit in Acharnensibus 468 et 477

Εἰς τὸ σπυρίδιον ἰσχνά μοι φυλλεῖα δός.
Σκάνδικά μοι δὸς μητρόθεν δεδεγμένος.

Cum haec fabula, quae superstitum comoediarum Aristophanis antiquissima est, dabatur (Olymp. 88 3), mater Euripidis mortua iam erat, ut videre licet ex v. 456: *εὐδαιμονοίης, ὥσπερ ἡ μήτηρ ποτέ.* Maior igitur fingendi licentia fuit. Eodem tendunt quae in Ranis 864 (840) et in Equitibus 19 iocatus est, siquidem in illis Aeschylus Euripidem sic alloquitur: *ἄληθες, ὦ παῖ τῆς ἀρουραίας θεοῦ;* in his Demosthenes imperator locutionem Euripideam praveque translatam deprecatur: *μή μοί γε, μή μοι, μὴ διασκανδικίσῃς.* In Thesmophoriazusis 456 Euripides in oleribus agrestibus nutritus dicitur: *ἅτ' ἐν ἀγρίοισι τοῖς λαχάνοις αὐτὸς τραφείς.* Ibidem v. 910: *ἐγὼ δὲ Μενελάῳ σ', ὅσα γ' ἐκ τῶν ἰφύων.* Semel mater Euripidis *λαχανοπωλήτρια* appellatur ibid. v. 387: *Εὐριπίδου, τοῦ τῆς λαχανοπωλητρίας.* Sed nihil est nisi nomen invidiosum ei inditum, quam agelli hortique fructus empturientibus concessisse aequales acceperant. Scilicet parentes Euripidis, quos nobili genere fuisse Philochorus demonstravit, in pago Halarum Aexonensium habitantes ibique possessionum suarum curam agentes anni proventum, quo ipsi carere possent, ad urbem miserunt. Pater autem mature videtur decessisse, cum unius matris mentionem ab Aristophane factam inveniamus. Unde autem humilis et abiecta muliercula, quae operam institoriam in foro Atheniensium factitaret, nata est? Fraudi fuisse puto nomen istud apud Aristophanem *τῆς λαχανοπωλητρίας*, magis etiam *sportulam* illam (*σπυρίδιον*) et *sicca folia* (*ἰσχνὰ φυλλεῖα*). Haec enim Telephi mendici ornamenta esse non re-

cogitantes, matrem Euripidis tanquam cum sportula oleribus plena ad forum Atheniensium adeuntem animo conceperunt. Hoc errore iam Theopompus implicari se passus est. Conf. pag. 93. Philochorus autem quamvis opinionem ab Aristophane disseminatam fortiter refutasset (vid. p. 94), nihilo minus ioci poetae comici adversus veritatem invaluere. Audiamus enim scholiastam Aristophanis (ex commentariis Didymi) haec annotantem ad Acharn. 456 *εὐδαιμονοίης*: σκώπτει αὐτὸν ὡς λαχανόπωλιν ἔχοντα μητέρα τὴν Κλειτώ. Ibid. 468 *ἰσχνά μοι φυλλεῖα*: σκώπτει δὲ αὐτὸν ὡς λαχανοπώλιδος υἱόν. Ibid. 477 *σκάνδικά μοι δός*: καὶ ἐν τοῖς Ἱππεῦσι δεδήλωται ὅτι ἡ μήτηρ Εὐριπίδου πωλεῖν ἐλέγετο σκάνδικας. Equit. 19 *μὴ διασκανδικίσῃς*: διευριπιδίσῃς. ἡ γὰρ μήτηρ Εὐριπίδου σκάνδικας ἐπίπρασκεν, ὅ ἐστιν ἄγρια λάχανα. κτλ. Ran. 864 *ἄληθες, ὦ παῖ*: ὅτι δὲ λαχανοπώλιδος υἱὸς ἦν ὁ Εὐριπίδης Ἀλέξανδρός φησιν. Conf. p. 96. Didymi mente semel ad λαχανόπωλιν arrecta, etiam ubi minime debuit indicium eius se invenisse apud Aristophanem putavit, veluti Ran. 1501 *τὰς δ' ὀξίδας Κηφισοφῶν*: Δίδυμος· πόρρωθεν ἐκ λαχανοπώλιδός φησι τὸν Εὐριπίδην διὰ τὰς ὀξίδας, h. e. *Didymo iudice subobscure filium olera vendentis Euripidem dicit* (Aristophanes) *acetabulis positis*: scilicet acetabulis olera et λαχανόπωλιν in memoriam redigi putat, quod usûs eorum in oleribus ad cibum apparandis. Post Didymum haec fama memoratur a Valerio Maximo III 4 ext. 2: *quam matrem Euripides aut quem patrem Demosthenes habuerit, ipsorum quoque saeculo ignotum fuit: alterius autem matrem olera, alterius patrem cultellos venditasse omnium paene doctorum litterae loquuntur.* Conf. Plin. N. H. XXII 28: *Haec* (scandix) *est quam Aristophanes Euripidi poetae obiicit iocularifer, matrem eius ne olus quidem legitimum venditasse, sed scandicem.*

Mnesarchus *propola* (κάπηλος) a litteris antiquioribus abfuit. Theopompus de eo nihil narravit et Aristophanes mentionem eius non iniecit. Sed cum λαχανοπώλιδι propola et lixa bene videretur convenire, aut ipse Didymus aut scriptor aliquanto antiquior sua coniectura κάπηλον procreavit.

Pergit narrator vitae: Ἀθηναῖος μέν, ἐγεννήθη δὲ ἐν Σαλα-

μῖνι ἐπὶ Καλλιάδου ἄρχοντος κτλ. Haec scripta sunt iuxta bellam fabulam [1], qua tragoediae Graecae principes, Aeschylus et Sophocles et Euripides, memorabili ac periculoso temporis momento in insula Salamine olim iuncti fuisse narrantur, Aeschylus fortis praeliator, Sophocles pulsandae citharae saltandique circa tropaea dux et princeps, Euripides in divinam luminis auram editus. De Euripide etiam Plutarchus *Quaest. Symp.* VIII 1 p. 717 C: οἷον ἦν τὸ περὶ τῆς Εὐριπίδου γενέσεως καὶ τελευτῆς, γενομένου μὲν ἡμέρᾳ καθ' ἣν οἱ Ἕλληνες ἐναυμάχουν ἐν Σαλαμῖνι πρὸς τὸν Μῆδον. Archontis nomen a Didymo ex Herodoto VIII 51 huic bene cognito adscriptum esse existimo.

Quae sequuntur (§. 2) de gymnicis certaminibus tentatis ab Euripide puero ob verum oraculi sensum a patre ignoratum, de victoria gymnica Athenis relata Didymus a Theopompo, ut videtur, recepit. Vid. p. 93. Ipse Theopompus haec ex poeta comico vel alio scriptore suaviter et solerter inveniente sumpsit. Quippe haec depugnandi facultas Euripidem ostendit ut novorum in dicendo τρόπων inventorem eundemque oratorem litigiosum et ad certandum promptissimum. Lege scitam Welckeri nostri admonitionem in *Tragoed. Gr.* t. II p. 451 annot. 6.

Praeceptores quos audivisse dicitur Euripides (§. 3), enumerantur *Anaxagoras*, *Prodicus*, *Protagoras*, quibus adiungitur amicus *Socrates*. Hos excepto Protagora a Theopompo accepit: nam Theopompus (Gell. XV 20) praeceptores ita distinxit et descripsit, ut singulis singularis artis facultatem acceptam Euripides referret, *physicam* Anaxagorae, *rhetoricam* Prodico, *ethicam* Socrati. Audi ipsum Latino Gellii ore loquentem: "auditor fuit *physici* Anaxagorae et *rhetoris* Prodici, in *morali* autem *philosophia* Socratis." His ad amussim respondent quae hic noster tradit, Protagoram tantummodo de suis opibus adiungens: καὶ πολλοὺς προσεξεῦρε λόγους, φυσιολογίας, ῥητορείας,

1. Id tamen verum videtur, Euripidem natum esse tempore belli Persici Graecis a Xerxe illati: certe et Philochorus et Eratosthenes vitae annos Euripidis computantes ab hoc principio profecti sunt, ut mox videbimus. de epiniciis quae Sophocles praeivisse dicitur conf. annotat. ad vitam Sophoclis §. 4.

ἀναγνωρισμούς, ὡς δὴ ἀκουστὴς[1]) *γενόμενος Ἀναξαγόρου καὶ Προδίκου καὶ Πρωταγόρου καὶ Σωκράτους ἑταῖρος.* Theopompus in sua narratione Socratem praeceptorem Euripidis ex Aristophane aliisque comicis petivisse, Anaxagoram et Prodicum aut ipse excogitasse aut iam ab aliis ex poesi Euripidea ratiocinando inventos accepisse mihi videtur: nam ille diligentiam roborandi et exercitandi corporis et secutam mox curam excolendi animi componere et oratorie narrare intendit. Euripidis vero sapientia et eloquentia ex tragoediis cum adeo splendesceret, ut haec Anaxagorae rerum naturalium exploratori, alia Prodico religioso sermonis exactori, alia Socrati morum praeceptori convenire viderentur, hos ei praeceptores Theopompus aut ipse assignavit aut ab aliis excogitatos et populari fama circumlatos admisit. Hoc certum est, narrationem ipsam ad fidem historiae aspirare nullo modo posse. Uno enim excepto Anaxagora, ceteros adeo aetate superat Euripides [2]), ut ipse magister potius quam discipulus eorum esse potuerit. Euripides pueritiae annos ruri apud parentes in pago Halaeensi peregit, id quod Aristophanes suo more significavit verbis *ἐν ἀγρίοισι τοῖς λαχάνοις τραφείς.* Cum animum ad fabulas scribendas appulit, Athenas se suaque contulit, ubi tunc Anaxagoras commorabatur et docta consuetudine hominum nobilium et eruditorum usus est. Utrum ad hoc commercium etiam Euripides admissus sit necne, incertum est, quamvis Anaxagorae discipulus non solum a Theopompo vitaeque narratore, sed etiam a Strabone et Diogene Eusebioque Euripides designetur: v. pag. 19 annot. 1. Rursus dubitari nequit, quin placita Anaxagorae Euripides compererit et assensu suo digna iudicaverit. Inde nata est opinio ex disciplina Anaxagorae prodisse Euripidem.

Post haec Didymus a Theopompo ad alium auctorem transgreditur, ad *Teleclidem* nobilem veteris comoediae poetam, cuius

1 Attendas, lector, ad hanc vocem: comparata enim Gelliana (*auditor*) intelliges vel vocabulo tenus Theopompum a Didymo exscriptum esse.

2. Socrate, qui natus est archonte Apsephione Olymp. 77 4, undecim annis aetate maior Euripides fuit. Protagoram decem saltem annis et pluribus Prodicum quoque antecessit, atque utrumque sero demum Athenis vidit. lege Clintoni *Fast. Hell.* s. a. 422.

unius nomini scholiasta, alioqui testium nominibus iniquus, pepercit. Cur post *Σωκράτης* addiderit *ὁ φιλόσοφος*, coniicere licet ex scholio ad Aristophanis Ranas 1539 (1499) *χαρίεν οὖν μὴ Σωκράτει παρακαθήμενον λαλεῖν*, cuius haec verba leguntur: *ὅτι* [1]) *νῦν πρὸς Σωκράτην ἑταιρίαν δηλοῖ. Παναίτιος δὲ ὅλα ταῦτα περὶ ἑτέρου Σωκράτους φησὶ λέγεσθαι.* Nimirum ab errore Panaetii in Euripidis vita Didymus caveri legentibus voluit, breviter admonendo Socratem amicum Euripidis non diversum esse a philosopho. Pergimus ad verba Teleclidis. In his afferendis eadem licentia Didymus grassatus est nimium festinando, qua in vita Sophoclis in errorem incidisse eundem p. 57 vidimus. Nam illic quemadmodum ex verbis Aristophanis omisit quae ad rem suam nihil pertinere putavit, sic nunc brevitati prospiciens plura ex duobus Teleclidis versibus reliquit, ac memoria sua nimium confisus personae loquentis nomen ipsis verbis inter sua receptis intulit, ut haec prodirent: *Μνησίλοχος δὲ ἐκεῖνος Φρυγικόν τι δρᾶμα καινὸν Εὐριπίδῃ καὶ Σωκράτης ὑποτίθησιν*, heu quantum mutata ab illis, quae Teleclides ipse dedit, conservata a Diogene Laertio II 19: *ἐδόκει δὲ συμποιεῖν Εὐριπίδῃ (Σωκράτης)· ὅθεν Μνησίλοχος* [2]) *οὕτω φησί·*

Φρύγες ἐστὶ καινὸν δρᾶμα τοῦτ' Εὐριπίδου,
Ὧι καὶ τὰ φρύγαν' ὑποτίθησι Σωκράτης [3]).

1. *ὅτι* a scholiasta est ea quae subsequuntur ex *Didymi* commentariis Aristophanicis excerpente: quae post haec voci *ἄλλως* subiecta sunt, scholiasta me iudice ex *Symmacho* ascivit.

2. Mnesilochum comoediae Teleclidis personam fuisse qua est sagacitate invenit Welckerus *Tragoed. Gr.* t. II p. 454, et verborum Teleclidis explicationem a mea non multum discrepantem ingeniose praeivit. ipse dicit: *Mnesilochos spricht mit Stolz von einem Originaldrama seines berühmten Schwiegersohns. diess Drama aber geht seine eigene Tochter Chörile, des Dichters Gattin, an* (in hac re ego discedo), *die mit dem iungen Kephisophon zuhielt.* etiam Choerilam Cephisophonti se dedisse nemo quod sciam auctor idoneus tradidit. v. pag. 107 sq.

3. Codices *ᾧ καὶ Σωκράτης τὰ φρύγαν' ὑποτίθησι*, quod vitium leni coniectura Menagius et Piersonus sustulerunt. Dindorfius in Fragmentis Aristophanis p. 23, quamvis ingeniosi critici partes optime sustinens, in avia aberrare debuit, quia duci non fido se credidit. nam a scriptore vitae Euripideae profectus hos versus dedit suos, non Teleclidis:

Μνησίλοχός ἐστ' ἐκεῖνος, ὃς φρύγει τι δρᾶμα καινὸν
Εὐριπίδῃ, καὶ Σωκράτης τὰ φρύγαν' ὑποτίθησιν.

Dindorfium sequitur Meinekius in *Fragm. com.* t. I p. 372.

Novum drama Euripidis dici puto Melito priorem Euripidis uxorem ab ipso repudiatam ac servo suo Cephisophonti, quocum rem habuerat, concessam et matrimonio iunctam. Mnesilochus in hac fabula suam filiam Choerilam novam uxorem in domum Euripidis deducturus me iudice prodibat. Nomen *Φρύγες* ei dramati ab servo *(Phryge)* Cephisophonte inditum existimo duce Welckero. Idem *τὰ φρύγανα* a Socrate supposita scite interpretatus est. Nempe Socrates corruptor iuventutis et sophista, qui videbatur Teleclidi, *sarmentis* suis sive pravis praeceptis foedum illud drama incitaverat [1]).

Dehinc (§. 5) verbo *φασὶ* bis posito quaedam ex vita Euripidis referuntur, in quibus testium nomina a scholiasta deleta esse verisimile videtur. Quod primum traditur, *οἱ δὲ τὰ μέλη αὐτῷ φασὶ Κηφισοφῶντα ποιεῖν*, id Aristophane auctore nititur, ut docet comparatio §. 12. De re mox dicemus. Altera fama de Euripide pictore tabulisque eius apud Megarenses asservatis ducta est ab hominum natura in Euripidis tragoediis fideliter repraesentata ac diligenter depicta. Conf. Poeticae Aristoteliae cap. 25 §. 6: *οἷον καὶ Σοφοκλῆς ἔφη αὐτὸς μὲν οἵους δεῖ ποιεῖν, Εὐριπίδης δὲ οἷοι εἰσί.*

Quae hinc sequuntur usque ad finem §. 5, a Philochoro tradita, ut cognovimus p. 94 sq., horum primum ex indicibus *τῶν πυρφόρων* Apollinis Zosterii relatum vel ex alio quo monumento publico narratum esse existimo; talis certe haec notitia est cui fidem tuto habere possimus. Tertium de Euripide annum vigesimum sextum agente, cum primum in certamen tragicorum poetarum descendit, ex didascalicis monumentis Atheniensium a Philochoro enotatum, sed rationem non accurate ab eodem subductam esse iudico. Conf. quae mox ad §. 8 dicentur. Medium vero de Hellanico eodem cum Euripide die nato, quamvis ab erudito homine prolatum, id totum originatione nominis, h. e. argumento admodum levi, inniti ex ipsis verbis illis (*γεννηθῆναι δὲ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ καὶ Ἑλλάνικον ἐν ᾗ ἐνίκων τὴν περὶ Σαλα-*

1 Welckerus l. c.: *höchst bitter ist der Spott, dass die Lehren des Socrates diesen Phrygern φρύγανα seyen, in diesem Drama die Flamme schüren.*

μῖνα ναυμαχίαν οἱ Ἕλληνες) manifestum est. Itaque huic narrationi non multum tribuemus, ac tutius Pamphilae sequemur auctoritatem, ex cuius commentariis a Gellio XV 23 laudatis consequitur, Hellanicum sedecim annis ante praelium Salaminium, h. e. anno ante Chr. 496, natum esse. Mortuus est igitur an. 411, siquidem annos octoginta quinque vixit, ut refert Pseudo-Lucianus in *Longaevis* c. 22. Ac sane Thucydides (I 97) Hellanici mentionem ita fecit, ut mortuum scriptorem memorari in aperto sit: sin Hellanicus demum anno 480 (= Olymp. 75 1) natus, idemque octoginta quinque annos vita emensus esset, anno 395, h. e. pluribus post Thucydidis finem annis, decessisset.

Sequitur iter ab Euripide postremis annis ad Archelaum regem Macedoniae susceptum (§. 6). De eius apud hunc regem commoratione tam Didymus quam antiquiores auctores partim epigrammate ab aequali Euripidis poeta in huius memoriam composito, partim tragoedia nomine Archelai ab Euripide regis gratia conscripta edocti sunt. Etiam coniuratio adversus Archelaum defuncto Euripide coorta effecit, ut huius cum rege commercium et amicitia in rerum memoria permaneret. Videlicet Decamnichus, princeps eius coniurationis, ob vindictam Euripidi adversus se olim concessam iratus regi ad audendum impellebatur [1]. Quando Euripides ad Macedones abierit, satis accurate definire licet. Athenis enim non solum Olympiadis 92 anno altero, quo Thesmophoriazusae (priores) Aristophanis actae sunt [2], sed etiam eiusdem Olympiadis anno quarto adfuit: nam hoc anno archonte Diocle ipse Orestem docuit. Lege scholiastam Euripidis ad Orestem 371 et 772. Idem cum pluribus mensibus ante exitum anni tertii Olympiadis 93 ex vita decesserit, non diutius

1. Aristoteles *Politicis* V 8 (10) §. 13: *καὶ τῆς Ἀρχελάου δ' ἐπιθέσεως Δεκάμνιχος ἡγεμὼν ἐγένετο, παροξύνων τοὺς ἐπιθεμένους πρῶτος· αἴτιον δὲ τῆς ὀργῆς ὅτι αὐτὸν ἐξέδωκε μαστιγῶσαι Εὐριπίδῃ τῷ ποιητῇ· ὁ δ' Εὐριπίδης ἐχαλέπαινεν εἰπόντος τι αὐτοῦ εἰς δυσωδίαν τοῦ στόματος.* lucem ex his lucratur illud quod de *δυσωδίᾳ* Euripidis in vita codicis Havniensis et Vindobonensis legimus: *μειρακίου δέ τινος ἀπαιδευτότερον στόμα δυσῶδες ἔχειν ὑπὸ φθόνου αὐτὸν εἰπόντος, "εὐφήμει", ἔφη, "μέλιτος καὶ Σειρήνων γλυκύτερον στόμα."* adolescentulus ille Decamnichus fuit, auctor narrationis Hermippus, ut videtur. cf. p. 98.

2. Hanovii *Exercitat. critic. in comicos Graec.* lib. I p. 82 sqq.

quam per duos annos vel paulo plus regis Archelai consuetudine et favore usus esse potest. Inde, opinor, apparet non verum illud esse, quod ante Macedonicam migrationem contigisse Euripidi patria relicta hic noster narravit, scilicet ut Magnesiae sedem figeret ibique et hospitio et immunitatis iure donaretur. Nempe media terra sive ab ipso Didymo sive ab aliquo auctore eius adiecta videtur esse, ne statim poeta a civibus suis ad remotos barbaros festinaret, sed apto et commodo intervallo aliquantum temporis subsistere posset. Nam si nave profectus est Euripides et more veterum non procul ab littore navigavit, Euboeam insulam praetergressus ad terram Magnetum venit in proxima Thessalia sitam. Perinde Thucydidi ad Thraces abituro Aeginam insulam quasi iustum quoddam in longo itinere deversorium Didymus assignavit. Conf. p. 22.

Iam pervenimus ad uxores Euripidis *Melito* et *Choerilam*, de quibus et §. 7 et accuratius §. 12 refertur. Earum nonnisi prior, si noster vitae narrator vera exposuit, Cephisophontem servum Euripidis adulterum admisit; quo flagitio, quamvis admonita a marito, cum desistere nollet, ab hoc repudiata et Cephisophonti matrimonio iuncta est. De moribus Choerilae, quam posthac uxorem duxit Euripides, nihil iniqui ab hoc nostro traditum est. Atque haec apposite ad veritatem narrata esse hinc ego colligo, quod ab Aristophane in Acharnensibus, h. e. Olymp. 88 3, Mnesilochus in aedibus Euripidis nondum ostenditur, servus autem Cephisophon ibi monstratur (v. 395—402): contra in Thesmophoriazusis, h. e. Olymp. 92 2, non comparet Cephisophon, quamvis homo tam astutus in summis illis difficultatibus, quibus tunc Euripides implicitus erat, prae ceteris succurrere potuisset, Mnesilochus autem *socer* in hac fabula productus et pro genero suo periclitatus argumento est, eo tempore Melito priorem coniugem Euripidis dimissam et Choerilam iam ascitam fuisse. Aristophanes igitur quae protulit, haec cum narratione scriptoris vitae bene consentiunt. Contra ex Aristophanis fabulis erroris convincitur illud, quod vita Havniensis et Vindobonensis Choerilam adulteram et mox coniugem Cephisophontis fuisse dicunt: λέγουσι δὲ αὐτὸν γήμαντα τὴν Μνησιλόχου θυγατέρα

Χοιρίλλην καὶ νοήσαντα τὴν ἀκολασίαν αὐτῆς γράψαι πρῶτον τὸ δρᾶμα τὸν Ἱππόλυτον, ἐν ᾧ τὴν ἀναισχυντίαν ἐθριάμβευε τῶν γυναικῶν, ἔπειτα (h. e. post Olymp. 87 4) *δὲ αὐτὴν ἀποπέμψασθαι. λέγοντος δὲ τοῦ γήμαντος αὐτὴν "σωφρονεῖ*[1]) *παρ' ἐμοί", "δύστηνος εἶ", ἔφη, "εἰ γυναῖκα δοκεῖς παρὰ τῷ μὲν τὴν αὐτὴν σωφρονεῖν, παρὰ τῷ δὲ μή".* Idem scriptor etiam licentius fingit, dum pergit: *ἐπιγῆμαι δὲ αὐτὸν δευτέραν, ἣν εὑρὼν ἀκολαστοτέραν προχειροτέρως εἰς τὴν κατὰ τῶν γυναικῶν βλασφημίαν ἐθρασύνετο. αἱ δὲ γυναῖκες ἐβουλήθησαν αὐτὸν κτεῖναι εἰσελθοῦσαι εἰς τὸ σπήλαιον, ἐν ᾧ γράφων διετέλει.* Similia leguntur apud Suidam et Moschopulum. Sed his nugis relictis ad nostrum vitae scriptorem revertimur. Eius igitur narratio et comoediis Aristophanis consentanea est, et novum fragmentum Aristophanis in altera vitae parte conservatum item hoce ostendit, Cephisophontem Euripidis consuetudine diu usum tamen interiecto tempore inde remotum esse [2]), dico verba illa *Κηφισοφῶν, σὺ δὲ ξυνέζης εἰς τὰ πολλ' Εὐριπίδῃ.* In versu huic subiecto, *καὶ συνεποίεις, ὥς φασί, τὴν μελῳδίαν*, verbis *ὥς φασὶ* dictum quoddam significari facetum et salsum puto. Quod ut statuam, nomen *Μελιτοῦς* me movet, quae post Euripidem adultero Cephisophonti nupsisse dicitur. Etenim huius nomen et illicita cum Cephisophonte consuetudo sufficiebant, ut sermo de Cephisophonte *τῶν μελῶν* Euripidis adiutore nasceretur. Si verbi causa frigido ioco Cephisophontem adulterum *ἐν τῇ Μελιτῷ συμπονεῖν Εὐριπίδῃ* atque *τὰ μέλη συμποιεῖν* ab aliquo comoediae scriptore, veluti a Teleclide, iactatum esset, fama mirabilis de Cephisophonte in carminibus choricis adiutore emergere facillime potuit. Hoc satis certum est, opem a Cephisophonte Euripidi latam fundamento non meliore niti quam auxilium a Socrate praestitum. De altero adiutore, Timocrate Argivo,

1. Codices H V *σωφρονεῖν*, et paulo post *παρ' ᾧ μὲν* atque *παρ' ᾧ δὲ μή*. ante *αὐτὴν* addidi *τὴν* suadentibus Pflugkio et Westermanno

2. Hoc ipsum post Olymp. 88 3 et ante 92 2 evenisse ex iis quae paulo ante disputavi consequitur. sed noli, lector, contendere Cephisophontem usque ad finem vitae Euripidis in eius amicitia permansisse, fretus Aristophanis Ran. 1500 (1453) sq., ubi in dicto Euripideo Cephisophonti aliquid deberi auctor confitetur: haec enim non iam in terra, sed apud inferos fiunt, ubi misceri tempora licet.

sermones hominum an simili ratione nati sint non decerno. De Cephisophonte scholiasta Aristophanis (ex Didymi commentariis) haec recepit in suas annotationes ad Ran. 975 *Κηφισοφῶντα (μιγνύς)*: *ὅτι* [1]) *ἐδόκει δοῦλος ὢν συμπονεῖν αὐτῷ ὁ Κηφισοφῶν, καὶ μάλιστα τὰ μέλη· ὃν καὶ συνεῖναι τῇ γυναικὶ αὐτοῦ κωμῳδοῦσιν.* Ibid. 1455 (*τὰς δ' ὀξίδας*) *Κηφισοφῶν: καὶ διὰ τούτου δηλοῖ πάλιν σχεδόν τι τὸ συναμφότερον, ὡς Κηφισοφῶν συνεποίει τὰ δράματα* [2]) *καὶ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ εἶχεν.* Quod subsequitur voce *ἄλλως* interposita, *οὐχ ὡς μόνον συμποιοῦντος αὐτῷ τοῦ Κηφισοφῶντος τὰ δράματα, ἀλλ' ὡς συνόντος αὐτοῦ τῇ γυναικί*, hoc scholiasta ex altero suo auctore Symmacho transcripsit. Alii cum in domesticis rebus Euripidis duas mulieres aliquotiens memorari observassent, bigamiae istius Atheniensium indicium et argumentum se deprehendisse temere crediderunt. Hoc intelligitur ex Gellii verbis XV 20: *mulieres fere omnis in maiorem modum exosus fuisse dicitur, sive quod natura abhorruit a mulierum coetu* (legendum *coitu*), *sive quod simul duas uxores habuerat, cum id decreto ab Atheniensibus facto ius esset, quarum matrimonii pertaedebat.* Opinionem bigamiae Euripidis ab Hieronymo vel Satyro harum nugarum amatoribus profectam esse supra conieci p. 98.

Filii Euripidis enumerantur ab hoc nostro Mnesarchides mercator natu maximus, Mnesilochus histrio, iunior Euripides. Secundus et tertius haud dubie, primus etiam, ut videtur (Moschopulus certe omnes *Choerilae* filios perhibet), ex altera uxore Euripidis nati sunt. Ut nomina eorum ad posteros propagarentur, effecit gloria iunioris Euripidis, *qui patris fabulas nonnullas docuit.* Quas ipsas indicavit scholiasta Aristophanis ad Ran. 67, Didymi copiis me iudice usus: *οὕτω δὲ καὶ αἱ Διδασκαλίαι φέρουσι, τελευτήσαντος Εὐριπίδου τὸν υἱὸν αὐτοῦ δεδιδαχέναι*

1. Particula *ὅτι* propria est excerpentis: vid. p. 104 ann. 1.

2. Parum accurate *τὰ δράματα* posuit, ubi debuit *τὰ μέλη*: sed hoc ipsum nunc vitavit, quia artificium acetabulis perficiendum, quod Cephisophonti assignatur, in *diverbiis* expositum erat. perinde vita codicis Havniensis: *διαβάλλεται δὲ ὑπὸ φθόνου, ὡς τὸν Κηφισοφῶντα εἶχε συμπονοῦντα (συμποιοῦντα) αὐτῷ τὰς τραγῳδίας.*

ὁμωνύμως ἐν ἄστει Ἰφιγένειαν τὴν ἐν Αὐλίδι, Ἀλκμαίωνα [1], *Βάκχας*. Verba *οὕτω δὲ καὶ αἱ Διδασκαλίαι φέρουσι* respiciunt commemorationem mortis Euripidis ab Aristophane factam. Aristophani mortuum Euripidem memoranti in fabula Olymp. 93 3 acta hactenus consentire Didascalias scholiasta refert, quod (proximis) Dionysiis urbanis tres fabulas Euripidis iam non suo nomine sed ab Euripide filio datas perhibeant. Porro si recogitemus Ranas *Lenaeis* in scenam commissam esse, h. e. Anthesterione octavo Attici anni mense, ac proxime subsequi Elaphebolionem, quo magna Dionysia (*ἐν ἄστει*) celebrabantur, hanc esse scholiastae mentem apparebit, eodem anno quo Ranas, sed magnis Dionysiis, illam trilogiam ab Euripide filio datam in Didascaliis legi.

A §. 8 altera pars vitae non mutilata incipit. Nam quae hinc exponuntur, ea tanta doctrina excellunt tamque sive copiose sive accurate absolvuntur, ut a prioribus breviter ac sine doctrinae ostentatione relatis multum discrepent. Ab initio quidem huius partis fontem suum vitae narrator (Didymus) non designavit, propterea quod notationes didascalicae post Aristotelis in hoc genere curam per varios libros, veluti Callimachi, Aristophanis Byzantii, Carystii Pergameni, dispersae legebantur, quodque illa quae extrema §. octava docentur, collatis indicibus didascalicis cum thesauris bibliothecae Alexandrinae superstitibus, Didymus ipse exploraverat. Archonte Callia, h. e. Olymp. 81 1, cum in notitiis didascalicis fabulam Euripideam consignatam hic noster primum invenisset, recte hoc anno fabulas docere coepisse Euripidem collegit. Iam a Boedromione (est tertius Attici anni mensis) Olymp. 75 1, h. e. a tempore pugnae Salaminiae, usque ad Anthesterionem octavum Attici anni mensem, quo Lenaea celebrabantur [2], vel ad proximum Elaphebolionem Diony-

1. Est *Ἀλκμαίων ὁ διὰ Κορίνθου*: alterum enim *τὸν διὰ Ψωφῖδος* Olympiade 85 2 Euripides docuit. conf. Argum. Alcest. cod. Vat.

2. *Anthesterionem*, non *Gamelionem* mensem proxime priorem, cum pono, discedo a sententia Boeckhii, qui in commentatione *de Lenaeis, Anthesteriis, Dionysiis*, inserta dissertationibus Academiae regiae Boruss. an. 1816 et 1817, docere studuit Lenaea *Gamelione* celebrata et ab Anthesteriis diversa fuisse. inspice prae ceteris commentationis illius doctae Her-

siorum τῶν ἐν ἄστει mensem Olympiadis 81 1 anni viginti quattuor et menses quinque vel sex colliguntur. Rectius igitur Thomas Magister in sua vita Euripidis huic primum docenti fabulam viginti quinque annos tribuit, quam hic noster (§. 5) vel potius Philochorus (cf. p. 94 sq.) viginti sex. Sed rara laudabilique diligentia noster vitae narrator addit: πρῶτον δὲ ἐδίδαξε τὰς Πελιάδας ἔτει πρώτῳ, ὅτε καὶ τρίτος ἐγένετο. In tanta autem accuratione statui exspectarique nequit, primam tetralogiae cuiusdam fabulam pro tota tetralogia vel trilogia nominatam esse, quod coniecit Welckerus in *Tragoedia Gr.* II p. 625, praesertim cum in aliis notitiis didascalicis, quas Didymi diligentia conservatas esse admodum verisimile est, Euripidis trilogiae vel tetralogiae satis accurate percenseantur [1]. Itaque grave testimonium hoc est ad tempus definiendum, quando Sophocle auctore etiam singulis fabulis, non solum tetralogiis certare poetis tragicis licuerit. Nam Suidae verba, καὶ αὐτὸς (Σοφοκλῆς) ἦρξε τοῦ δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι, ἀλλὰ μὴ τετραλογίαν (intellige πρὸς τετραλογίαν), novo more veterem omnino sublatum esse minime pronuntiant, atque ille, cum scripsit μὴ τετραλογίαν, nihil voluit nisi contrario apposito sententiam suam dilucidius efferre. Neque rursus auctor Suidae id affirmavit, novam certandi consuetudinem a Sophocle, simulatque tragoedias docere coepit, statim inductam esse [2]. Sed notatione illa de Peliadibus

cule et laboriosae p. 52 sqq., 110, 123. recte autem Hüllmannus noster, venerandus senex, contra asseruit, festum Lenaeorum neque diversum fuisse ab Anthesteriis et in mensem Anthesterionem incidisse. lege *Memorabilium Graecorum* pag. 120—122. ad ea quae Hüllmannus solerter pro sua sententia exposuit, accedit gravis Apollodori auctoritas apud scholiastam Aristophanis Acharn 960 (972), adeo ipsius Aristophanis testimonium Acharn. 960 et 1075 et 1209, ubi Χόες, unus ex tribus Anthesteriorum diebus, ipso festo quo docentur Acharnenses (Lenaeis) ita commemorantur, ut qui cummaxime celebrentur, quos locos Boeckhius minime quidem neglexit, sed non feliciter a sua opinione reppulit. ceterum haec res ad caput meae quaestionis nihil pertinét, et hoc vel tunc stabit recte, etiamsi Boeckhii ratio vera esset.

1. Dico argum. Alcestidis ex cod. Vat., argum. Medeae, schol. Ran. 67: v. p. 113 et 85 et 109. his notitiis duas tetralogias et unam trilogiam Euripidis edocti sumus, in scenam commissas Olymp. 85 2, 87 1, 93 3. quartam tetralogiam Euripidis, Alexandrum et Palamedem et Troades et Sisyphum satyricam, Olymp. 91 2 datam, a Xenocle autem victam, Aelianus V. H. II 8 commemoravit. v pag. 113 annot. 2.

2. Hac de re cum alios, tum Welckerum nostrum aliter sentire satis

Euripidis rite perpensa colligitur, novum morem non demum post Olymp. 81 1 emergere coepisse. Quod cum ita sit, rem ipsam fere in hunc modum accidisse crediderim. Posteaquam Aeschylus Orestiam suam, tetralogiam nobilissimam, Olymp. 80 2 docuit et victoria virtute parta ornatus paulo post in Siciliam abiit, in ceteris poetis tragicis Sophocles sine comparatione maximus excelluit. Huius igitur fabulas cum quotannis spectare homines studiose cuperent, Sophocles autem civium suorum studiis ob tot fabulas in scenam afferendas satisfacere quovis anno et utrisque Dionysiis non posset, tantum poetam etiam una tragoedia certantem archon libenter videtur admisisse. Quae licentia cum Sophocli concessa esset, etiam concertatoribus eius decernenda erat, ut pro tribus concertatoribus iam plures ad certamen accedere possent. Alio autem anno aut alterutris Dionysii festis diebus si forte integram tetralogiam Sophocles obtulisset, et duos concertatores eundem numerum tragoediarum afferentes invenisset, tetralogiam Sophocliam etiam gratiorem plerumque fuisse credere licet. Quae res si hac ratione evenit, Sophocles novi moris non tam inventor quam causa fuit, atque hinc optime perspicitur, cur unus Suidas mentionem novae consuetudinis iniecerit, cur neque ullus alius neque Didymus, dum nova a Sophocle usurpata diligenter in vita Sophoclis (§. 5 et 6) persequitur, de hac re verbum protulerit.

Quibus expositis de cetera fortuna scenica Euripidis nonnulla interponere non alienum erit. Ab Olymp. 81 1 usque ad 84 3 annis quattuordecim nullius victoriae honore dignus habitus est, sed tunc Diphilo archonte concertatores suos devicit, ut refert Marmor Parium v. 75.: *ἀφ' οὗ Εὐριπίδης ἐτῶν ὢν ΔΔΔΔIII τραγῳδίᾳ πρῶτον ἐνίκησεν, ἔτη [. . . ἄρχ]οντος Ἀθήνησι Διφίλου.* Proximam victoriam tulit Olymp. 87 4, cum Hippolytum docuit, *tragoedia singulari* [1]. Tertium victor renuntiatus est

constat. v. Welckeri *Trilog Aeschyl.* p. 509, *Tragoed. Gr.* I p. 83. cf. Boeckhii comment in indice lectionum univ. Berol. 1841—1842.

1. Argum. Hippolyti: *ἐδιδάχθη ἐπὶ Ἀμείνονος* (lege *ἐπὶ Ἐπαμείνονος*, collato Schweighaeusero ad Athenaeum vol. III p 232) *ἄρχοντος Ὀλυμπιάδι ὀγδοηκοστῇ ἑβδόμῃ ἔτει τετάρτῳ. πρῶτος Εὐριπίδης, δευτε-*

paulo ante Olymp. 92 4 iterque Macedonicum, sive tetralogia integra in scenam missa sive una ex his tribus fabulis, *Hypsipyla*, *Phoenissis*, *Antiopa*, ut coniicio ex schol. Ran. 53 *τὴν Ἀνδρομέδαν*: *διὰ τί μὴ ἄλλο τι τῶν πρὸ ὀλίγου* (h. e. paulo ante Olymp. 93 3, quamvis hoc minus accurate pronuntiatum sit) *διδαχθέντων καὶ καλῶν, Ὑψιπύλης, Φοινισσῶν, Ἀντιόπης; ἡ γὰρ Ἀνδρομέδα ὀγδόῳ ἔτει προῆκται.* Quartum victor discessit Olymp. 92 4, cum Orestem docuit, ut collegerim ex Argumento eius: *τὸ δρᾶμα τῶν ἐπὶ σκηνῆς εὐδοκιμούντων, χείριστον δὲ τοῖς ἤθεσι.* Quintam victoriam nactus est post mortem, Euripide filio (vel nepote) tetralogiam a patre relictam Dionysiis urbanis Olymp. 93 3 docente. Conf. p. 109. Suidas s. v. *Εὐριπίδης*: *νίκας δὲ εἵλετο ε', τὰς μὲν τέσσαρας περιών, τὴν δὲ μίαν μετὰ τελευτήν, ἐπιδειξαμένου τὸ δρᾶμα τοῦ ἀδελφιδοῦ αὐτοῦ Εὐριπίδου.* Eadem usque ad *τελευτήν* Moschopulus in vita Euripidis exhibet. Thomas Magister imperite decem quinque victorias unus affirmavit. Secundum locum obtinuit Euripides Olymp. 85 2, primum Sophocli relinquens [1], et Olymp. 91 2, cum Xenocles victor evasit [2], in tertio substitit Olymp. 87 1, cum Euphorio primas tulit, secundas Sophocles [3].

Haec paulo copiosius persecutus sum, ut admonerem, cur Didymus eo loco quem tractamus tam celeriter et quasi sicco pede hanc rem praeterierit. Nempe haec ille in commentariis

ρος Ἰοφῶν, τρίτος Ἴων. cum hac notitia si comparaveris argumentum Medeae, ex eodem fonte (Didymo) haustum, in quo tetralogiae Euripidis Olymp. 87 1 actae singula dramata accurate referuntur, item argumentum Alcestidis et scholium ad Ranas Aristophanis 67, vix dubitabis, quin auctor nunc de una fabula loquatur. haud perinde certum hoc est in verbis Marmoris Parii.

1. Argumentum Alcestidis cod. Vatic.: *τὸ δρᾶμα ἐποιήθη ιζ'. ἐδιδάχθη ἐπὶ Γλαυκίνου ἄρχοντος τὸ λ'* (*Ὀλ. πε'* Dind.). *πρῶτος ἦν Σοφοκλῆς, δεύτερος Εὐριπίδης, Κρήσσαις, Ἀλκμαίωνι τῷ διὰ Ψωφῖδος, Τηλέφῳ, Ἀλκήστιδι.*

2. Aelianus V. H. II 8: *κατὰ τὴν πρώτην καὶ ἐννεακοστὴν Ὀλυμπιάδα, καθ' ἣν ἐνίκα Ἐξαίνετος ὁ Ἀκραγαντῖνος στάδιον, ἀντηγωνίσαντο ἀλλήλοις Ξενοκλῆς καὶ Εὐριπίδης, καὶ πρῶτός γε ἦν Ξενοκλῆς, ὅστις ποτὲ οὗτός ἐστιν, Οἰδίποδι καὶ Λυκάονι καὶ Βάκχαις καὶ Ἀθάμαντι σατυρικῷ. τούτου δεύτερος Εὐριπίδης ἦν Ἀλεξάνδρῳ καὶ Παλαμήδει καὶ Τρωσὶ* (legendum *Τρῳάσι*) *καὶ Σισύφῳ σατυρικῷ.*

3. Argumentum Euripidis Medeae. conf. pag. 85 ann. 1.

Euripideis ad singulas fabulas exponenda sibi reservavit. Nam excepto Aeliani loco ante transcripto, cetera de Euripidis tragoediis feliciter aut infeliciter actis tradita iis locis continentur, quos ex Didymi commentariis Euripideis delectos esse admodum probabiliter statui potest.

Accedimus ad numerum fabularum ab Euripide editarum et ad notitiam de numero earum fabularum, quae Alexandriae paulo ante Christum natum superstites visebantur: τὰ πάντα δ' ἦν αὐτῷ δράματα ϟβ', σώζεται δὲ οη'. His tanquam solido certoque fundamento insistere nos posse monitum est p. 92. In fabulis ab Euripide scriptis (92) tragoedias *septuaginta quinque*, satyrica dramata *decem septem* fuisse decernere liceret, si M. Varronis testimonio acquiescere secure possemus. De hoc enim Gellius XVII 4: *Euripidem quoque M. Varro ait, cum quinque et septuaginta tragoedias scripserit, in quinque solis vicisse, cum eum saepe vincerent aliqui poetae ignavissimi.* Verum enim vero is testis, quamquam aequalis Didymi, nunc quidem adeo caecutivit, ut et tetralogiarum et fabularum satyricarum oblitus statuerit Euripidem in quinque solis tragoediis vicisse, in reliquis autem omnibus (70) inferiorem discessisse, qui error immanis uni Varroni vitio dandus est [1]). Nam Euripides *minimum* undecim fabulis, h. e. duabus tetralogiis et tribus tragoediis singillatim commissis, fortasse etiam pluribus victoriam tulit. Atque hac veriore ratione adhibita ne sic quidem collegerim, in omnibus ceteris Euripidem victoria decidisse. Immo plures fabulas suas archonti ne obtulit quidem agendas Lenaeis aut magnis Dionysiis, sed ruralibus Dionysiis in Piraeeo docendas destinavit. Lege Aeliani V. H. II 13: ὁ δὲ Σωκράτης σπάνιον μὲν ἐπεφοίτα τοῖς θεάτροις· εἴποτε δὲ Εὐριπίδης ὁ τῆς τραγῳδίας ποιητὴς ἠγωνίζετο καινοῖς [2]) τραγῳδοῖς, τότε γε ἀφικνεῖτο· καὶ Πειραιοῖ δὲ

1. Welckerus l. l. p. 449 de his verbis Varronis dicit: *der wohl nur aus Uebereilung δράματα durch tragoediae übersetzte, wenn diess Wort nicht dem Gellius zur Last fällt.* non festinatio sed ignoratio rei scenicae apud Graecos errorem procreavit: nam verba *in quinque solis vicisse* non nisi de *tragoediis* Varronem cogitasse ostendunt.

2. Ex voce καινοῖς hoc loco, ubi de Bacchi festis in urbe celebratis Aelianus loquitur, posita, mox autem omissa haud consequitur in Piraeeo

αγωνιζομένου τοῦ Εὐριπίδου, καὶ ἐκεῖ κατῄει. Sed in Didascaliis nonnisi victorias in urbe relatas Didymus eiusque auctores invenerunt. Summum igitur, quod equidem de fortuna scenica Euripidis tuto pronuntiari posse credo, hoc est, eum saepius in secundis tertiisve constitisse quam prima assecutum esse. Idem hoc ad Sophoclis victorias, sive *duodeviginti* fuere teste Diodoro XIII 103, sive *viginti* quas tradit Carystius Pergamenus in Didymi vita Sophoclia §. 7, sive *viginti quattuor* quas Suidas ponit, si accommodatur, numerus per se quidem magnus, sed prae tanto ingenio ac tot fabulis exiguus, eo magis quod saepius singulis tragoediis certavit, mirationem facere desinet. Hunc enim ex Sophocle Simonidem factum cum dea Pax apud Aristophanem (in *Pace* 694—698) queritur et in senis poetae avaritiam inclementer invehitur (Olymp. 89 3, h. e. sedecim annis ante obitum Sophoclis), quid significavit nisi hoc, Sophoclem numerantibus pecuniam prompte facere tragoedias, exemplum Simonidis lyrici poetae secutum? Itaque dubitari vix potest, quin verbi gratia Piraeenses tragoediam emere et agere cupientes Sophoclem seniorem bono successu adirent, si bonam pecuniae vim se daturos esse ostenderant. Atque hoc illud est, quod Aristophanes Sophocli vitio vertit. Sed victoriae alibi quam in urbe reportatae neque in Didascaliis consignatae neque ad posteros propagatae sunt. Idem dicendum videtur de decem tribus Aeschyli victoriis. Nam ne hunc quidem statim ab initio tetralogiis certasse supra (p. 87) demonstravi. Numerus igitur victoriarum etiam in hoc minor est quam exspectare possimus, quamvis quattuor, quas tulit filius Euphorio paternis fabulis, illo numero non contineantur.

Redeo unde digressus sum. M. Varro igitur cum septuaginta quinque *tragoedias* ab Euripide scriptas esse tradit, numerum *fabularum* Euripidis sua aetate superstitum perperam substituit: nam Didymo teste in numero illo septuaginta octo dramatum tria suppositicia fuere, *Tennes*, *Rhadamanthys*, *Pirithous*,

repetitas fabulas agi moris fuisse. Aelianus enim nihil nisi hoc dicere intendit, Socratem spectandi cupidum fuisse, quotiens novi quidquam Euripides ostenderit. sed notionem *novi* semel verbo extulisse satis erat.

quibus detractis septuaginta quinque supererant. Consentit vita codicis Vindobonensis, in qua nomina fabularum spuriarum reticentur. Hinc Suidas, sed imperite: δράματα δὲ αὐτοῦ κατὰ μέν τινας οέ, κατὰ δὲ ἄλλους ἐνενήκοντα δύο.

De vitae tempore ab Euripide peracto ita refertur (§. 9), ut Philochoro teste plus quam septuaginta annos vixisse dicatur, Eratosthenis autem ratione septuaginta quinque colligantur. Utrumque in computatione subducenda secutum esse pugnae Salaminiae tempus famamque de nativitate Euripidis vulgarem admodum verisimile videtur. Philochorus autem cum plus quam septuaginta annos numeravit, temporis spatium ab Olymp. 75 1 (= 480) usque ad Olymp. 92 4 (409) ratione sua complexus est. Scilicet in monumentis didascalicis, quae ipse, ut paulo ante Aristoteles, Athenis inspicere et consulere potuit, postremum certamen Olymp. 92 4 archonte Diocle ab Euripide initum esse repperit. Hinc itineris Macedonici oblitus illo anno mortuum esse Euripidem credidit. Ita anni 71 et aliquot menses effecti sunt, h. e. plus quam septuaginta anni (ὑπὲρ τὰ ἑβδομήκοντα ἔτη). Verius Eratosthenes aevum Euripidis definivit. Is enim migrationis Macedonicae non immemor ex Ranis Aristophanis, fortasse etiam aliis indiciis didicit Euripidem aliquot mensibus ante Lenaea Olympiadis 93 3, h. e. ante Anthesterionem octavum huius anni mensem, decessisse. Sed pugna Salaminia cum *Boedromione*, tertio mense anni Attici, commissa sit (Polyaen. III 11, Plutarch. Camillo c. 19, Herodot. VIII 51 et 65 et 72), ab eo praelio usque ad Anthesterionem Olymp. 93 3 septuaginta quattuor anni et sex menses effluxerunt. Itaque Euripides paulo post Boedromionem Olymp. 93 3 exstinctus est: nam aliquot mensibus opus erat Aristophani ad comoediam suam componendam, archonti chori impetrandi gratia offerendam, mox ad actores rite docendos, choreutas instituendos et exercendos. Sed Euripides si vel paucis diebus post vicesimum Boedromionis diem (is dies pugnae Salaminiae fuit) exstinctus est, nihil obstitit quo minus illo temporis momento septuaginta quinque annos natum Eratosthenes eum diceret. Huic Eratosthenis computationi perbene convenit gravissimum Apollodori testimonium, obitum Euripidis

ad Olymp. 93 3 Calliamque archontem referentis apud Diodorum XIII 103: *Ἀπολλόδωρος δέ, ὁ τὴν χρονικὴν σύνταξιν πραγματευσάμενος, φησὶ καὶ τὸν Εὐριπίδην κατὰ τὸν αὐτὸν ἐνιαυτὸν τελευτῆσαι· τινὲς δὲ λέγουσι παρ' Ἀρχελάῳ τῷ βασιλεῖ Μακεδόνων κατὰ τὴν χώραν ἐξελθόντα κυσὶ περιπεσεῖν καὶ διασπασθῆναι μικρῷ πρόσθεν τούτων τῶν χρόνων* [1]. Eratosthenem sequitur etiam Suidas s. v. *Εὐριπίδης* et Moschopulus in vita Euripidea: *ἔτη βεβιωκέναι φασὶν αὐτὸν ἑβδομήκοντα πέντε.* Paucis post Euripidem mensibus et ante Lenaea eiusdem anni archonte eodem Callia Sophocles animam exspiravit. Hoc sic evenisse cum aliis testibus accepimus, veluti Diodoro XIII 103, auctore Chronici Parii, argumento Oedipi Colonei in annotatione pag. 60 posito, tum ex duobus Aristophanis locis (Ran. 771—778 et 787—794 ed. Dind.) inter se iuste comparatis [2]) liquido patet. Sed tempus intra quod Ranae scriptae sunt ne nimis coarctetur, Aristophanes non demum post mortem Sophoclis ad hanc fabulam aggressus videri debet, sed cum vel totam vel magnam eius partem absolvisset, paucos illos de Sophocle versus (76—82, 787—794) adiecisse censendus est. Hoc ita accidisse magnum signum est, quod versibus illis sublatis totum comoediae ne minimum quidem turbatur. A temporis igitur spatio nihil obstat, quo minus fieri potuerit id quod Thomas Magister in vita Euripidis his verbis narravit: *φασὶ δὲ ἐπὶ τῷ ἀκούσματι τῆς Εὐριπίδου τελευτῆς τοὺς μὲν Ἀθηναίους πάντας πενθῆσαι, Σοφοκλέα δὲ αὐτὸν μὲν καὶ φαιὸν ἐνδεδῦσθαι χιτῶνα, τοὺς δὲ ὑποκριτὰς αὐτοῦ ἀστεφανώτους τῷ τότε εἰσαγαγεῖν πρὸς τὸν ἀγῶνα.* Sed quod ante unus et ignobilis auctor tradidit, idem invento supplemento Parisiensi vitae Euripideae (§. 10) a vetere scriptore (Didymo) accepimus, cuius tamen narratio tribus rebus a Moschopulo

1. In horum numero est auctor Marmoris Parii: *Εὐριπίδης [. . . ἐτε]λεύτησεν . . . ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀντιγένους*, h. e. Olymp. 93 2. hunc sequitur Boeckhius in commentatione *de Lenaeis* p. 97 annot. 120, *Corp. Inscript.* II p. 342.

2. Veri temporis successione observata prius exponitur, quomodo Euripides ad inferos degressus adversus Aeschylum se gesserit, dein altero loco narratur, quanta reverentia et humanitate Sophocles eodem delatus Aeschylum honore suo et praemiis frui passus sit. conf. Apuleius in *Apologia* c. 37: *Sophocles poeta Euripidi aemulus et superstes.*

discrepat. Nam primum *pallium* (ἱμάτιον) pullum, non *tunicam* (χιτῶνα), maerenti Sophocli tribuit, deinde tam choreutas quam actores coronis suis orbatos induci a Sophocle fecit, tandem haec non ἐν ἀγῶνι sed ἐν τῷ προαγῶνι accidisse dicit. Nihilo minus haec omnia plane conficta esse facile intelligitur, sive Moschopulum sive Didymum sequimur. Nam ἀγῶνες scenici Athenis demum a Lenaeis celebrari coeperunt, Sophocles autem paulo ante mortuus erat. Itaque Moschopuli narratio sine dubio reprobanda est. Sed quod apud Didymum legimus ἐν τῷ προαγῶνι, haec divinatio quaedam potest esse, cum coram archonte chorum suppeditaturo fabula agitur, ut is auctorem, si placeat, ad publicum certamen admittat, sin displiceat, excludat, aut tragoediae ab archonte ad certamen admissae meditatio et exercitatio (*Probe*) cogitari potest. Prius illud quod apud Romanos interdum evenit (conf. Terentii Eunuch. prolog. 22—26), Athenis quoque usu receptum fuisse nullo argumento probari potest. Sed ut factum illud esse ultro concedamus, non coram populo eiusmodi prolusio instituta est. Itaque illa maeroris ostentatio, pulla vestis, coronae positae, lacrimae populi quo spectent, nemo definire poterit. Cogitabimus igitur fabulae mox agendae meditationem exercitationemque ab actoribus et choro coram Sophocle institutam. Sed ne hoc quidem respondet verae rerum condicioni Atticaeque consuetudini. Nam Sophocles aliquot temporis ante quam festi Bacchi dies agebantur decesserat, praemeditatio autem proximis ante ipsum certamen diebus instituta sit necesse et rei naturae consentaneum videtur. Accedit quod populi praesentia aliena est ab eiusmodi praemeditatione. Sed prae ceteris coronae histrionum chorique evincunt commenticiam esse totam narratiunculam. De his enim sic refertur, quasi omnes et scenae et orchestrae personas coronis ornatas procedere moris fuisset. Contra satis constat coronas neque semper adhibitas fuisse et nonnisi paucis certisque tragoediae alicuius personis concessas esse. Itaque haec fabula aut inventa est a scriptore quodam Attici moris non satis gnaro ad celebrandam memoriam Euripidis, quippe quem ipse aemulus quamvis longe praestantior praeclare veneratus sit, aut sumpta est ex comoedia prave intellecta.

Fortasse *Προαγὼν* Aristophanis, quae nomine Philonidis simul cum *Vespis* Aristophanis et Leuconis *Legatis* Olymp. 89 2 data est [1], totius narrationis inveniendae occasionem praebuit.

Iam dicendum est de mortis genere, quo decessisse fertur Euripides. Canum morsibus dilaceratum obisse multi scriptores rettulere, quorum antiquissimi nobis cogniti sunt *Hermesianax* Colophonius et *Sotades* Maronita, qui Ptolemaei Lagi et Philadelphi temporibus floruerunt. Ille in libro tertio Elegiarum de Leontio apud Athenaeum XIII p. 598 E:

Εἰσόκε τοι δαίμων, Εὐριπίδη, εὗρετ' ὄλεθρον,
ἀμφὶ βίου στυγνῶν ἀντιάσαντι κυνῶν.

Sotades apud Stobaeum (Florileg. tit. 96): *κύνες οἱ κατὰ Θρᾴκην Εὐριπίδην ἔτρωγον.* Ad hanc narrationem proxime accedit hic noster (§. 11), nisi quod facti scenam causamque copiose exposuit et memorabilibus quibusdam exornavit. De aemulis in Euripidem canes immittentibus nemo ex his quidquam significavit. Neque Valerius Maximus de aemulis locutus est IX 12 extern. 4, locum tamen calamitatis aliter quam vitae narrator descripsit: *sed atrocius aliquanto Euripides finitus. Ab Archelai enim regis coena in Macedonia domum hospitalem repetens canum morsibus laniatus obiit. Crudelitas fati tanto ingenio non debita.* Diodorus neque de loco venationis, ut hic noster, neque de reditu a coena Archelai, sed de fortuito egressu Euripidis cogitavit, cum scripsit (XIII 103): *κατὰ τὴν χώραν ἐξελθόν-*

1. Argumentum Vesparum a Kanngiessero et Dindorfio emendatum: *ἐδιδάχθη ἐπὶ ἄρχοντος Ἀμεινίου διὰ Φιλωνίδου εἰς Λήναια ἐν τῇ πθ' Ὀλυμπιάδι. β' ἦν. καὶ ἐνίκα πρῶτος Φιλωνίδης Προαγῶνι. Λεύκων πρέσβεσι γ'.* conf. Dindorfii *Fragm. Aristophanis* p 64—68. Hanovii *Exercitat. critic.* I p. 18—26. Bergkius in Meinekii *Fragm. poetarum comoediae antiquae* t. II p. 1136 sqq. in Proagone illusum esse Euripidi ex Vespis v. 61 et scholiastae annotatione accepimus. fortasse Aristophanes in hac fabula Sophoclem et Euripidem composuit et ad archontem anni 2 Olympiadis 89 adduxit, ut is decerneret, cui chorus ad proxima Dionysia *ἐν ἄστει* (*Vespae* Lenaeis docebantur) concederetur. divinatione (*προαγῶνι*) instituta Euripides victus est et, quamvis pluribus annis ante veram mortem, animam efflavit. quod ubi Sophocli victori renuntiatum est, is non superbe lactabatur, sed animo perhumano omnia veri maeroris signa monstravit, ipse pullo amictu in scenam progressus et choreutas suos histrionesque modo ob impetratam victoriam coronatos deponere coronas iussit. certe consimili ratione narratiuncula §. 13 in hac vita Euripidis ex Aristophanis Thesmophoriazusis ducta est.

τα κυσὶ περιπεσεῖν κτλ. Quem Gellius in hac re secutus est auctorem XV 20, fortasse Alexander Aetolus proxime ab eo laudatus, is et coenam et *quendam aemulum* atrocis casus auctorem memoravit: *is cum in Macedonia apud Archelaum regem esset uteretur que eo rex familiariter, rediens nocte ab eius coena canibus a quodam aemulo immissis dilaceratus est; et ex his vulneribus secuta mors est.* Hic probabilia secutus non statim devoratum esse a canibus Euripidem narravit, sed ex vulneribus a bestiis illatis mortem secutam esse dixit. In hoc consentientem habet Stephanum Byzantium, abeuntem in alia quod ad locum attinet, s. v. *Βορμίσκος, χωρίον Μακεδονίας, ἐν ᾧ κυνοσπάρακτος γέγονεν Εὐριπίδης. . . . ἐκ δὲ τῶν δηγμάτων ἀρρωστήσαντα αὐτὸν ἀποθανεῖν.* Propria multa habet narratio Moschopuli in vita Euripidis: *ἐτελεύτησε δὲ ἐξ ἐπιβουλῆς Ἀριδαίου τοῦ Μακεδόνος καὶ Κρατεύα τοῦ Θετταλοῦ, ποιητῶν ὄντων καὶ φθονησάντων αὐτῷ καὶ πεισάντων τὸν βασιλέως οἰκέτην ὄνομα Λυσίμαχον* [1]*, δέκα μνῶν ἀγορασθέντα, τοὺς βασιλικοὺς οὓς αὐτὸς ἔτρεφε κύνας ἐπαφεῖναι τῷ Εὐριπίδῃ. ἕτεροι δὲ ἱστόρησαν οὐχ ὑπὸ κυνῶν ἀλλ' ὑπὸ γυναικῶν αὐτὸν διασπασθῆναι, πορευόμενον ἀωρὶ πρὸς Κρατερὸν* [2] *τὸν ἐρώμενον Ἀρχελάου, . . . οἱ δέ, πρὸς τὴν γαμετὴν Νικοδίκου τοῦ Ἀρεθουσίου.* Mire tandem Hyginus Fabul. 247, si sana sunt verba, haec refert: *Euripides tragoediarum scriptor in templo consumptus est.*

Collegi quaecunque de violenta morte Euripidis tradita nobis sunt, quae discrepare inter se et singula in rebus haud levibus longe a se invicem discedere in aperto est. Sed his indiciis minus ego commoverer, ut totam rem confictam pronuntiarem, nisi alia et luculentiora accederent. Primum enim in Ranis, quam fabulam Aristophanes aliquot mensibus post obitum Euripidis docuit, et per quam ipsum Euripidem summopere exagitavit, de morte tam memorabili neque vola nec vestigium reperitur: immo

1. Diogenianus Cent. VII 52 et Apostolius XVI 70 hunc servum *Promerum* nominant.

2. Errat Moschopuli dux et auctor, dum *Κρατερὸν* tanquam diversum a Crateua Thessalo producit: nam *Κρατεύας* et *Κρατερὸς* variae sunt eiusdem nominis formae et uni homini, amasio regis Archelai, competunt. cf. Aristotel. Polit. V 8 (10) §. 11. Wesseling. ad Diodorum XIV 37.

de Euripide tanquam fine non insolito ad inferos admoto loquitur, veluti v. 67 et 771 sqq. et 893 (869). Aeque grave illud est, quod auctor epigrammatis *κενοταφίῳ* Euripideo apud Athenienses inscripti (§. 9), qui aequalis Euripidis fuit, quemque cum hoc ipso in aula regis Macedonici vixisse admodum verisimile est [1]), et ipse de tam tristi exitu Euripidis nihil significavit, sed simpliciter in Macedonia mortalitatem explevisse hunc poetam et ibi sepultum esse dixit. Vere igitur Addaeus epigramm. 8 in Brunckii Anal. II p. 242 vel Anthol. VII 51:

Οὔ σε κυνῶν γένος εἷλ', Εὐριπίδη, οὐδὲ γυναῖκος
οἶστρος, τὸν σκοτίης Κύπριδος ἀλλότριον,
'Αλλ' 'Αΐδης καὶ γῆρας· κτλ.

Sed qua tandem ratione fama et narratio nata esse videbitur? Eius rei hanc explicationem, non certam sed probabilem, afferre possum. Euripides *apud Macedones* exstinctus vulgari tunc confusione etiam *apud Thraces* obisse dici potuit. Sic Aristophanes poetas ad Archelaum Macedonem profectos *Θρακοφοίτας* [2]) nominavit in lepido fragmento Gerytadis apud Athen. XII p. 551 A. Comperientibus igitur finem Euripidis inter Macedones sive Thraces consecutum recordantibusque eius odium adversus mulieres, facile ac sponte in animum venit Orphei a Thracibus mulieribus discerpti. Hinc pronum erat antiqui vatis sortem ad recentiorem applicare. Atqui vere hoc factum esse docet vita illa Moschopuli: *ἕτεροι δὲ ἱστόρησαν οὐχ ὑπὸ κυνῶν ἀλλ' ὑπὸ γυναικῶν αὐτὸν διασπασθῆναι.* Quae antiquior famae illius forma

1. Auctorem eius scriptor vitae *Θουκυδίδην τὸν ἱστοριογράφον ἢ Τιμόθεον τὸν μελοποιὸν* edidit. sed Thucydides rerum scriptor in exsilio degit, cum Euripides decessit, ac duobus demum annis post hoc tempus in patriam restitutus est. v. pag. 24 sq. neque rerum scriptor idoneus poëmatii auctor videtur, ut recte monet Krügerus in *Vita Thucyd.* p 62. Itaque statuere liceat Thucydidem poetam illum, qui ipse apud Archelaum fuit, hoc epigramma fecisse. inde simul causa patet, cur ambigeretur inter Thucydidem et Timotheum dithyramborum poetam: nam factum esse dicebatur ab eo, qui Euripidis consuetudine in Macedonia usus esset. hinc alii de Thucydide poeta, alii de Timotheo *τῷ διθυραμβοποιῷ* cogitaverunt: nam uterque apud Archelaum fuit (cf. Vita Thucydidis §. 29. Suidas s. v. *Τιμόθεος*), uterque *μελοποιός*, h. e. poeta lyricus, fuit.

2. Veram huius vocis explicationem mecum olim communicavit Wilhelmus Becker, eruditus iuvenis, nunc equitum filios in arena litterarum exercens Bedburgensi.

videtur fuisse, Euripidem tanquam alterum Orpheum a mulieribus Thraciis dilaniatum esse. Sed haec facti ratio cum parum credibilis videretur, alii pro mulieribus canes substituerunt, iique secundum hos domestici fuere, secundum illos venatici poetam infelicem consumpserunt. Etiam de tempore locoque, ubi canibus obviam factus sit, varia traduntur. Nonnullis a coena regis domum hospitalem rediit, aliis nocte amasium regis aditurus erat, apud alios forte oblatus est canibus venaticis regiis. Postrema fama, quam noster vitae narrator secutus est, fortasse a caede regis Archelai aliquot annis post secuta ad Euripidem transiit. Archelaus enim venationis opportunitate a coniuratis interemptus est. Eius autem coniurationis praecipuus auctor idem *Crateuas* sive *Craterus*, amasius Archelai exstitit, quem in Euripidis casu varie memorari supra vidimus. Lege Aristotelis Politic. V 8 (10) §. 9, Diodori XIV 37.

Restat fabula de mulieribus Euripidem osorem invicem odio suo insectantibus, quae §. 13 maiore doctrina quam prudentia proposita est. Quae narratiuncula quamvis manifesto conficta et partim ex argumento Thesmophoriazusarum Aristophanis (v. 181 sqq.), partim ex Melanippa Euripidis prava coniectura petita sit, eam tamen prae ceteris Didymo convenire manifestum est. Quippe hanc ille fovebat opinionem, figmentis poetarum plerumque aliquid ex rebus vere gestis subesse idque ζητήσει eruendum esse. Prae ceteris autem in illis Didymi verbis memorabilia haec mihi videntur: *ἐφείσαντο δὲ (αἱ γυναῖκες) αὐτοῦ πρῶτον δι' αὐτὰς τὰς Μούσας, ἔπειτα δὲ βεβαιωσαμένου μηκέτι αὐταῖς κακῶς ἐρεῖν.* Quorum posteriora *ἔπειτα–ἐρεῖν* nostris Thesmophoriazusis non satis conveniunt [1]), priora *ἐφείσαντο δὲ αὐτοῦ πρῶτον δι' αὐτὰς τὰς Μούσας* eisdem plane non respondent. Itaque tam

1. In nostris, h. e. prioribus Thesmophoriazusis Euripides 1160 dicit quidem:

γυναῖκες, εἰ βούλεσθε τὸν λοιπὸν χρόνον
σπονδὰς ποιήσασθαι πρὸς ἐμέ, νυνὶ πάρα
ἐφ' ᾧτ' ἀκοῦσαι μηδὲν ὑπ' ἐμοῦ μηδαμῇ
κακὸν τὸ λοιπόν, ταῦτ' ἐπικηρυκεύομαι.

sed haec offert et pollicetur, ut socerum Mnesilochum a mulieribus deprehensum et captum liberet: de ipsius Euripidis causa in nostris Thesmophoriazusis nihil transigitur.

haec quam illa pertinere ad *δευτέρας Θεσμοφοριαζούσας* Aristophanis puto. Nam alterae Thesmophoriazusae non secunda quaedam prioris fabulae recensio vel editio fuit, sed argumentum fabulae in priore dramate inchoatum in hoc amplius Aristophanes persecutus est. Nam cum in prioribus Thesmophoriazusis mulieres eo die, qui totius festi tertius mediusque erat (*Νηστεία* ei vocabulum), de Euripidis poena consultantes poeta ostendisset et Euripidis contra nitentis artificia descripsisset, hoc tamen die et in hac fabula nihil effectum est, nisi ut Mnesilochus pro Euripide periclitatus ex summis periculis et difficultatibus ab Euripide liberaretur. In alteris Thesmophoriazusis mulieres proximo die, h. e. die *Καλλιγενεία* consecrato, non ieiunantes sed laetitiae voluptatibusque indulgentes Aristophanes produxit. Conf. Bergkius in Meinekii *Fragmentis poetarum comoediae antiquae* t. II p. 1074 sqq. Iam ego vestigiis modo significatis insecutus hoc coniecerim, in altera illa comoedia iterum ad iudicium mulierum Euripidem adductum esse, ibique Musarum interventu dimissum esse, postquam ipse pollicitus erat a maledictis in mulieres abstinere sibi destinatum esse. Interventum Musarum cum dico, non cogito de choro Musarum, sed legationem aliquam a Musis Euripidis gratia missam esse suspicor. Euripidem suo promisso stetisse vitae scriptor versibus ex Melanippa (*ἡ δεσμῶτις* haec fuit) recitatis probare voluit. Ipse igitur persuasum sibi habuit alteram Melanippam post Thesmophoriazusas Aristophanis, h. e. post Olymp. 92 2, datam esse. Prior Melanippa (*ἡ σοφή*) certe non post Olympiad. 92 2 acta est. Vide Aristophanis Thesmophor. 547 (554) et 272 (279). Cuius cum in prioribus fabulis Aristophanis nullum vestigium reperiatur, sane proxime ante Olymp. 92 2 scripta, altera autem Melanippa paulo post Olymp. 92 2 edita esse videatur. Euripides vero non ob eiusmodi promissum, quale hic noster comminiscitur, alteri Melanippae illos versus inseruit, sed potius adiecit, quod ipsi huius tragoediae argumento convenire videbantur.

ΜΑΡΚΕΛΛΙΝΟΥ

ἐκ ¹) τῶν εἰς Θουκυδίδην σχολίων περὶ τοῦ βίου αὐτοῦ Θουκυδίδου καὶ τῆς τοῦ λόγου ἰδέας.

(*ΕΚ ΤΩΝ ΔΙΔΥΜΟΥ*)

I *Τῶν Δημοσθένους μύστας γεγενημένους θείων λόγων τε καὶ*
1 *ἀγώνων, συμβουλευτικῶν τε καὶ δικανικῶν νοημάτων μεστοὺς γενομένους καὶ ἱκανῶς ἐμφορηθέντας, ὥρα [λοιπὸν] καὶ τῶν Θουκυδίδου τελετῶν ἐντὸς καταστῆναι· πολὺς γὰρ ὁ ἀνὴρ τέχναις καὶ κάλλει λόγων καὶ ἀκριβείᾳ πραγμάτων καὶ στρατηγικαῖς ²) συμβουλαῖς καὶ πανηγυρικαῖς ὑποθέσεσιν. ἀναγκαῖον δὲ πρῶτον εἰπεῖν τοῦ ἀνδρὸς καὶ τὸ γένος καὶ τὸν ³) βίον· πρὸ γὰρ τῶν λόγων ταῦτα ἐξεταστέον τοῖς φρονοῦσι καλῶς.*

2 *Θουκυδίδης τοίνυν ὁ συγγραφεὺς Ὀλόρου ⁴) μὲν προῆλθε*

1. *ἐκ — ἰδέας* E, i. e. codex Palatinus Heidelbergensis 252, collatus a Bekkero, mea gratia a F. Baehrio aliquot locis iterum inspectus: Aldus *περὶ τοῦ Θουκυδίδου βίου καὶ τῆς ἰδέας αὐτοῦ ἀπὸ τῆς ὅλης ξυγγραφῆς παρεκβολή.* 2. *στρατηγικαῖς* Grauertus: *στρατηγίαις καὶ* E, *στρατηγίᾳ καὶ* Aldus. 3. *τὸν* om E. 4. *ὠλόρου* E, et statim *ὁλόρου*, et ubique id nomen spiritu effert aspero.

§. 1. *τῶν Δημοσθένους — ἐμφορηθέντας*: v. Prolegom. p. 8 et 9. *ὥρα [λοιπὸν] καὶ — καταστῆναι*: quaestionem Demostheni dicatam ubi Didymus absolvit, continuo ad Thucydidem se convertit verbis *ὥρα καὶ τῶν Θουκυδίδου τελετῶν ἐντὸς καταστῆναι*, recte scribens *tempus est ut etiam* cet. multorum enim hominum in litteris excellentium vitas in opere suo narravit et scripta aestimavit, ab uno ad alterum et rursus ad alios transgressus. sed qui haec verba excerpsit, is unum hoc caput elegit ideoque adiecit *λοιπὸν* (*restat ut*). idem vero cum nomen antiquius (*ὥρα*) delere negligeret, vitiosa locutio *ὥρα λοιπὸν καὶ* originem inde duxit.
§. 2. *Θουκυδίδης — Ὀλόρου μὲν προῆλθε πατρός — καὶ μητρὸς*

πατρός, τὴν ἐπωνυμίαν ἔχοντος ἀπὸ Ὀλόρου τοῦ Θρᾳκῶν βα-
σιλέως, καὶ μητρὸς Ἡγησιπύλης, ἀπόγονος δὲ τῶν εὐδοκιμωτά-
των στρατηγῶν, λέγω δὴ τῶν περὶ Μιλτιάδην καὶ Κίμωνα.
ᾠκείωτο γὰρ ἐκ παλαιοῦ τῷ γένει πρὸς Μιλτιάδην τὸν στρατηγόν,
τῷ δὲ Μιλτιάδῃ πρὸς Αἰακὸν τὸν Διός. οὕτως αὐχεῖ τὸ γένος 3
ὁ συγγραφεὺς ἄνωθεν. καὶ τούτοις Δίδυμος μαρτυρεῖ, Φερεκύ-
δην ἐν τῇ πρώτῃ τῶν ἱστοριῶν φάσκων οὕτως λέγειν· "Φίλαιος [1])
δὲ ὁ Αἴαντος οἰκεῖ ἐν Ἀθήναις. ἐκ τούτου δὲ γίνεται Δαϊ-
κλῆς [2]), τοῦ δὲ Ἐπίδικος [3]), τοῦ δὲ Ἀκέστωρ, τοῦ δὲ Ἀγήνωρ, τοῦ
δὲ Ὄλιος, τοῦ δὲ Λύκης [4]), τοῦ δὲ Τύφων [5]), τοῦ δὲ Λάϊος, τοῦ
δὲ Ἀγαμήστωρ, τοῦ δὲ Τίσανδρος, [ἐφ' οὗ ἄρχοντος ἐν Ἀθή-
ναις] τοῦ δὲ Μιλτιάδης, τοῦ δὲ Τίσανδρος [6]), τοῦ δὲ Ἱπποκλεί-

1. *Φίλαιος* Wesselingius ad Herodotum VI 35: vulgo *Φιλαίας*; cf. Plutarchus Solone c. 10. Pausan. I 35 2. 2. *Δαϊκλῆς* dedi pro vulgato *Δάϊκλος*: Casaubonus *Αἴκλος* commendavit. Messenium *Δαϊκλέα* habes apud Dionys. Antiquit. Rom. I 71 extr. 3. *Ἐπίδικος* Grauertus: vulgo *Ἐπίδυκος*. 4 vocis *Λύκης* vocalem alteram ambiguam E: fortasse fuit *Λυγκεύς*, et ante *Ὀϊλεύς* pro *Ὄλιος*. 5. *τόφων* E. 6. *τοῦ δὲ Τίσανδρος* supplementum accepi a Voemelio (*Exerc. chro-*

Ἡγησιπύλης: cf. Prolegom. p. 16 sq. *λέγω δὴ τῶν περὶ Μιλτιάδην καὶ Κίμωνα*, h. e. *τοῦ Μιλτιάδου καὶ Κίμωνος*. libenter hoc genere loquendi Didymus usus est. sic §. 18 pro *τῷ Ἁρμοδίῳ καὶ Ἀριστογείτονι* posuit *τοῖς περὶ Ἁρμόδιον καὶ Ἀριστογείτονα*. idem in scholiis ad Pindari Nem. IX init. scripsit: *συντακτέον οὖν, φησὶν ὁ Δίδυμος, εἰς τὰ Παροίνια, καθὰ καὶ τοῖς περὶ τὸν Φασηλίτην ἀρέσκει.* ab hoc loco proficiscentibus nobis etiam alios ac similes in isdem scholiis ad Didymum referre licebit, veluti *οἱ περὶ Ἀριστόδημον* ad Olymp. XI 55, *οἱ περὶ Ἀσκληπιάδην* ad Nem. II 19, *οἱ περὶ Καλλίστρατον* Isthm. II 19. cf. schol. ad Aristophan. Ran. 73: *τοῖς περὶ Αἰσχύλον καὶ Εὐριπίδην*. Lehrsii *Quaestiones Epicae* p. 28 sqq.

§. 3. *καὶ τούτοις Δίδυμος μαρτυρεῖ*: v. Prolegom. p. 3 et 4. *τοῦ δὲ Μιλτιάδης*: in fragmento Pherecydis duo Miltiades enumerantur, prior filius Tisandri, alter Cypseli, conditor Chersonesi, cui antiquior ille Tisandri filius me iudice proavus, ex Voemelii autem supplemento avus fuit. sed Voemelii *καὶ Κύψελος* meo *τοῦ δὲ Κύψελος* propterea posthabui, quod toto stemmate ab Aiante usque ad Miltiadem Chersonesi conditorem pertexto nonnisi pater et filius, nunquam frater alicuius patris aut filii commemoratur. quippe hoc propositum Pherecydes secutus est, ut gentem Miltiadis alterius ab Aiace usque repeteret: ad hunc autem finem satis erat unum illum ex singulis familiis nominare, quo Aiacis posteri usque ad Miltiadem alterum deducerentur. Miltiades Tisandri filius is est, cuius meminit Pausanias VIII 39 2, archon Atheniensis Olymp. 30 2: *ἐγένετο δὲ τῆς Φιγαλίας ἅλωσις . . . Μιλτιάδου μὲν Ἀθήνησιν ἄρχοντος, δευτέρῳ δὲ ἔτει τῆς τριακοστῆς Ὀλυμπιάδος* centum annis post (Olymp. 55) eius *pronepos* sive alter Miltiades coloniam in Chersonesum deduxit. etiam hoc temporis intervallum argumento est, Miltiadem alterum prioris *pronepotem* potius quam nepotem fuisse.

δης, ἐφ' οὗ ἄρχοντος Παναθήναια ἐτέθη, τοῦ δὲ Κύψελος [1].
4 *τοῦ δὲ Μιλτιάδης, ὃς ᾤκισε* [2] *Χερρόνησον." μαρτυρεῖ τούτοις καὶ Ἑλλάνικος ἐν τῇ ἐπιγραφομένῃ Ἀσωπίδι* [3]. *ἀλλ' οὐκ ἂν εἴποι τις, τί αὐτῷ πρὸς Θουκυδίδην; ἔστι γὰρ οὕτως τούτου* [4]
5 *συγγενής. Θρᾷκες καὶ Δόλογκοι* [5] *ἐπολέμουν πρὸς Ἀψινθίους ὄντας γείτονας, ταλαιπωρούμενοι δὲ τῷ πολέμῳ καὶ τί κακὸν οὐ πάσχοντες ἐκ τοῦ μεῖον ἔχειν ἀεὶ τῶν πολεμίων καταφεύγουσιν ἐπὶ τὰ τοῦ θεοῦ χρηστήρια, εἰδότες ὅτι μόνος θεὸς ἐξ ἀμηχάνων εὑρίσκει πόρους· θεοῦ* [6] *γὰρ ἰσχὺς καὶ κατ' Αἰσχύλον ὑπερτέρα, πολλάκις δ' ἐν κακοῖσι τὰν ἀμήχανον κὰκ* [7] *χαλεπᾶς*
6 *δύας* [8] *ὑπέρ τε ὀμμάτων κρημναμέναν νεφέλαν ὀρθοῖ. κοὐκ ἐψεύσθησαν τῶν ἐλπίδων· ἐχρήσθησαν γὰρ κράτιστον ἕξειν ἡγεμόνα τοῦτον ὃς ἂν αὐτοὺς ἀλωμένους* [9] *ἐπὶ ξενίαν καλέσῃ.*

nol. de aetate Solonis et Croesi): Tisander enim pater Hippoclidis erat, non Miltiades: v. Herodot. VI 127 et 128   1. *τοῦ δὲ Κύψελος* suppelvi duce Herodoto VI 35, ubi Cypselus pater Miltiadis conditoris Chersonesi: Voemelius *καὶ Κύψελος*. v. annot. exeget.   2. *ᾤκισε* Stephanus et Casaubonus: *ὤκησε* E, *ᾤκησε* Aldus.   3. vulgo *Ἀσωπιδι*, sed cf. Lobeckii *Patholog. Serm. Gr. Prolegom.* p. 510 et Sturzius ad Pherecyd. p. 52.   4. *τούτου*, non *τούτῳ* referente Frommelio apud Popponem, liber E, hanc ob rem iterum consultus.   5. *Δόλοπες* Aldus, non E.   6. *θεῶν* Aldus, et mox *τὸν ἀμήχανον* et *κρημναμένων νεφελῶν*. v. annot. exeget.   7. *κὰκ*] *καὶ* E et Aldus: Poppo et Bekkerus *ἐκ*.   8. *δύας*] spatium vacuum E et Aldus, quinque litterarum capax.   9. *ἀλωμένους* E.

§. 5 *Θρᾷκες καὶ Δόλογκοι κτλ*: hinc unum Herodotum (VI 34 sqq.) auctorem sequitur Didymus: conf. Prolegom. p. 10 et 16 sq. *θεὸς ἐξ ἀμηχάνων εὑρίσκει πόρους*: locutionem suam conformavit ad versum Aeschyli Prometh. 59: *δεινὸς γὰρ εὑρεῖν κἀξ ἀμηχάνων πόρους.* eadem consuetudo et infra (§. 35) recurrit et in pluribus scholiis Sophocliis Didymo tribuendis apparet, veluti ad Oed. Tyr. 777 et 1191, Trachin. 280 et 931, Electr. 1473. primo horum locorum ignoti poetae senarium suis scholiasta immiscuit, secundo versum Menandri, tertio pentametrum aliquem (*καρτερεῖ ὃ λίαν ἐστὶν ἀνεκτότατον*), quarto hemistichium hexametri (*γὰρ φρένες εἰσὶ παχεῖαι*), quinto senarium (*ἐν τῷ λαλεῖν δεῖ μηδὲ μηκύνειν* [*τὸν*] *λόγον*. poeticum spirant verba schol. Antigon. 606: *ἀσθενοῦμεν* [*δὲ*] *τῇ γλυκείᾳ προσβολῇ* [*τοῦ ὕπνου*] *κατεχόμενοι.* quae uncis circumdata, Didymus adiecit: cetera versum quadratum efficiunt conf. Wolff *de Sophoclis schol. Laurent.* p. 24 et 213, O. Schneider *de Schol. Aristoph.* p. 16. *θεοῦ γὰρ — ὀρθοῖ*: Aeschyli versus in Septem ad Theb. 232 (226) quos Didymus respexit hi sunt:

ἔστι θεοῖς δ' ἔτ' ἰσχὺς καθυπερτέρα·
πολλάκι δ' ἐν κακοῖσιν τὸν ἀμήχανον,
κὰκ χαλεπᾶς δύας ὕπερθ' ὀμμάτων
κρημναμενᾶν νεφελᾶν, ὀρθοῖ.

τότε καὶ Κροῖσος εἶχε Λυδίαν καὶ τὰς Ἀθήνας ἡ Πεισιστρατι-
δῶν τυραννίς. ἐπανιόντες οὖν ἀπὸ τοῦ χρηστηρίου περιέτυχον
τῷ Μιλτιάδῃ πρὸ τῶν θυρῶν [1]) *καθεζομένῳ τῆς αὐτοῦ οἰκίας,*
ἀχθομένῳ μὲν τῇ τυραννίδι, ζητοῦντι [2]) *δὲ δικαίαν τῆς Ἀττι-*
κῆς ἔξοδον· ταῦτα γὰρ ᾠκονόμησεν ὁ χρησμὸς αὐτοῖς. ὁρῶν 7
οὖν αὐτοὺς πλανητῶν ἔχοντας στολήν, συνεὶς τί δύναται πλάνη,
καλεῖ τοὺς ἄνδρας ἐπὶ ξενίαν, ὑπηρετῶν τῷ χρησμῷ λανθάνων.
οἱ δ' ᾔσθησαν τὸν ἡγεμόνα τὸν ἀπὸ τῶν ξενίων εἰληφότες, καὶ
πάντα αὐτῷ διηγησάμενοι στρατηγὸν ἐχειροτόνησαν αὐτῶν [3]).
οἱ μὲν οὖν τὸν θεόν φασιν ἐρωτήσαντα ἐξελθεῖν, οἱ δὲ οὐκ ἄνευ
γνώμης τοῦ τυράννου τὴν ἔξοδον πεποιηκέναι, ἀλλὰ τῷ κρα-
τοῦντι τὴν πρόσκλησιν τῶν Θρᾳκῶν διηγησάμενον ἀπελθεῖν·
ὃς [4]) *καὶ πρόσδοὺς δύναμιν ἀπέπεμψεν, ἡσθεὶς ὅτι μέγα δυ-* 8
νάμενος ἀνὴρ ἔξεισι τῶν Ἀθηνῶν. οὗτος οὖν ἡγούμενος ἐπλή-
ρωσε τὰ μεμαντευμένα, καὶ μετὰ τὴν νίκην γίνεται καὶ Χερρο-
νήσου οἰκιστής. ἀποθανόντος δὲ τοῦ [5]) *παιδὸς αὐτοῦ διαδέχε-* 9
ται τὴν ἐν Χερρονήσῳ ἀρχὴν Στησαγόρας ὁ .... [6]) *ἀδελφὸς*

1. *ὅρων καθεζομένῳ τῆς ἀττικῆς* E et Aldus: correxit Rutgersius. 2. Aldus contra quam E *δικαίαν δὲ ζητοῦντι.* 3. *αὐτῶν* Bekkerus tacite tanquam ex E: sed E *αὐτῶν* (non *αὐτῷ* referente Poppone), Aldus *αὐτόν.* 4. *ὃς* Casaubonus: Aldus et E *οἷς.* 5. *τοῦ παιδὸς* E, *μετὰ παιδὸς* Aldus: fortasse fuit *ἄπαιδος*: v. Herodot. VI 38. 6. *ὁ.* .....] fuisse coniicio *ὁ Κίμωνος, ὃς ἦν Μιλτιάδου*: v. Herodot. l. c. sed fortasse Didymus Herodotum suum negligenter consuluit et falsa rettulit. certe paullo post hoc ei accidit.

codices v. 2 *ἐν κακεῖσι τὰν* et v. 4 *κρημναμέναν νεφέλαν*, sed *τὰν* a metro et sententia, *κρημναμέναν νεφέλαν* a sententia laborat. vere *τὸν* correxit Canterus, et *κρημναμενᾶν νεφελᾶν* Hermannus. *κακοῖσιν* pro *κακοῖσι* numeri gratia scripsi secutus Mosq 2. conf. Butlerus ad h. l. sententia est: *saepe eum qui in malis inops consilii, ex infesta pernicie quamvis super oculos impendentibus nubibus, divina potestas erigit.* Didymus Aeschylum negligenter inspexit aut falsa scriptura deceptus est. quippe *τὰν ἀμήχανον* et *κρημναμέναν*, ut ille legit, ex accusativo *νεφέλαν* pendere voluit et partes orationis sic iunxit: *πολλάκις δ' ἐν κακοῖσι τὰν ἀμήχανον ὑπέρ τε ὀμμάτων κρημναμέναν νεφέλαν κἀκ χαλεπᾶς δύας ὀρθοῖ*, unde emergit inepta sententia: *divina potestas in malis saepe inevitabilem superque oculos pendentem caliginem vel ex infesta pernicie erigit.*

§. 7. *οἱ μὲν οὖν — ἐξελθεῖν*: in his est Herodotus (VI 35), quem ducem et auctorem in hac narratione Didymus habuit. *οἱ δὲ οὐκ ἄνευ γνώμης — ἔξεισι τῶν Ἀθηνῶν*: hoc ex alio quo scriptore praeter Herodotum adhibito narrator adiecit: fortasse tamen levi recordatione ad hunc Miltiadem applicuit id, quod de tertio Miltiade Herodotus tradidit VI 39: *Μιλτιάδεα τὸν Κίμωνος . . . ἐπὶ Χερσονήσου ἀποστέλλουσι τριήρεϊ οἱ Πεισιστρατίδαι.*

10 ὁμομήτριος. ἀποθανόντος δὲ καὶ τούτου διαδέχεται τὴν ἀρχὴν
Μιλτιάδης, ὁμώνυμος μὲν τῷ πρώτῳ οἰκιστῇ, ἀδελφὸς δὲ Στη-
11 σαγόρου ὁμομήτριος καὶ ὁμοπάτριος. οὗτος οὖν, ὄντων αὐτῷ
παίδων ἐξ Ἀττικῆς γυναικός, ὅμως ἐπιθυμῶν δυναστείας λαμ-
βάνει Θρᾳκῶν βασιλέως Ὀλόρου θυγατέρα Ἡγησιπύλην πρὸς
12 γάμον· ἐξ οὗ καὶ αὐτῆς γίνεται παιδίον. κατελθόντων δὲ εἰς
τὴν Ἑλλάδα Περσῶν συσκευασάμενος τὰ αὑτοῦ εἰς τὰς Ἀθήνας
πέμπει καὶ τὰ πολλὰ τοῦ γένους ἀποστέλλει. ἡ δὲ ναῦς ἁλί-
σκεται, ἐν ᾗ καὶ οἱ παῖδες αὐτοῦ, ἀλλ' οὐχ οἱ ἐκ τῆς γυναικὸς
τῆς Θρᾳκικῆς· ἀφίενται δ' ὑπὸ βασιλέως, εἴ γε μὴ Ἡρόδοτος
ψεύδεται. Μιλτιάδης δ' εἰς τὴν Ἀττικὴν ἐκ Θρᾴκης διαφυγὼν
13 σώζεται. οὐκ ἀπέδρα δὲ καὶ τὴν τῶν ἐχθρῶν [1]) συκοφαντίαν·
ἐγκλήματα γὰρ αὐτῷ ἐπέφερον [2]) διεξιόντες τὴν τυραννίδα. ἀπο-
φεύγει δέ, καὶ [3]) στρατηγὸς τοῦ πρὸς τοὺς βαρβάρους πολέμου
14 γίνεται. ἀπὸ τούτου οὖν Δίδυμος [4]) κατάγεσθαί φησι τὸ Θου-
κυδίδου γένος. καὶ μέγιστον τεκμήριον νομίζουσι τὴν πολλὴν
περιουσίαν καὶ τὰ ἐπὶ Θρᾴκης κτήματα καὶ ἐν Σκαπτησύλῃ [5])
15 μέταλλα χρυσᾶ. δοκεῖ οὖν τισὶν υἱδοῦς [6]) εἶναι τοῦ Μιλτιάδου
ἢ θυγατριδοῦς. παρέσχε δ' ἡμῖν τὴν ἄλλως αὐτὸς ζήτησιν, μη-
δεμίαν μνήμην περὶ τοῦ γένους πεποιημένος.
16 [Μὴ ἀγνοῶμεν δὲ τοῦτο ὅτι Ὄρολος [7]) ὁ πατὴρ αὐτῷ ἐστί,

1. ἐχθρῶν Stephanus et Casaubonus ex Suida (s. v. Μιλτιάδης): .... E et Aldus. 2. ἐπέφερον iidem: .... E et Aldus. 3. καὶ στρατηγὸς] ..... κατηγορτος E, ... κατήγορος Aldus; cf. Herodot. VI 104. 4. Δίδυμος ego supplevi: .... E et Aldus; conf. Prolegom p. 2. statim φησι E: Aldus φασι, ex coniectura ut videtur. 5. ἐν Σκαπτησύλῃ] .... σύλη E: correxit Poppo. τὰ ἐν Σκαπτησύλῃ maluit Bekkerus. 6. υἱδοῦς Piersonus ad Moer. p. 379: ..... E et Aldus; conf. Prolegom. p. 16. 7. ὄλορος E.

§. 11. γίνεται παιδίον: v. Prolegom p. 18 annot. 1.

§. 12. κατελθόντων δὲ — Ἡρόδοτος ψεύδεται: de erroribus in his verbis a Didymo commissis dixi Prolegom. p. 17.

§. 15. δοκεῖ οὖν τισὶν κτλ: v. Prolegom. 16 sq.

§. 16. Μὴ ἀγνοῶμεν κτλ. haec quae de maioribus Thucydidis contextum narrationis interrumpunt et a cetero vitae argumento multum abhorrent, Didymus ipse non scripsit, sed scholiasta ille Thucydidis a Marcellino exscriptus adiecit. auctor saltem post Antoninos Caesares Romanos vixit: meminit enim Herodis Attici, qui hisce temporibus ingenio divitiisque floruit. ceterum interpolator etiam ex fastu suo et molimine tam hoc loco quam tribus aliis deprehenditur. formula enim μὴ ἀγνοῶμεν perinde redit

τῆς μὲν πρώτης συλλαβῆς τὸ ρ ἐχούσης, τῆς δὲ δευτέρας τὸ λ.
αὕτη γὰρ ἡ γραφή, ὡς καὶ Διδύμῳ δοκεῖ, ἡμάρτηται. ὅτι
γὰρ Ὀρολός ἐστιν, ἡ στήλη δηλοῖ ἡ ἐπὶ τοῦ τάφου αὐτοῦ κει-
μένη, ἔνθα κεχάρακται "Θουκυδίδης Ὀρόλου [1]) Ἁλιμούσιος."
πρὸς γὰρ ταῖς Μελιτίσι [2]) πύλαις καλουμέναις ἐστὶν ἐν Κοίλῃ 17
τὰ καλούμενα Κιμώνια μνήματα, ἔνθα δείκνυται Ἡρώδου [3])
καὶ Θουκυδίδου τάφος. εὑρίσκεται δῆλον ὅτι τοῦ Μιλτιάδου γέ-
νους ὄντως [4])· ξένος γὰρ οὐδεὶς ἐκεῖ θάπτεται. καὶ Πολέμων
δὲ ἐν τῷ περὶ ἀκροπόλεως τούτοις μαρτυρεῖ· ἔνθα καὶ [5]) Τι-
μόθεον υἱὸν αὐτῷ γεγενῆσθαι προσιστορεῖ.]
Ὁ δὲ Ἕρμιππος καὶ ἀπὸ τῶν Πεισιστρατιδῶν αὐτὸν λέγει 18
τῶν τυράννων ἕλκειν τὸ γένος, διὸ καὶ διαφθονεῖν αὐτόν φησιν
ἐν τῇ συγγραφῇ τοῖς περὶ Ἁρμόδιον καὶ Ἀριστογείτονα, λέγοντα
ὡς οὐκ ἐγένοντο τυραννοφόνοι· οὐ γὰρ ἐφόνευσαν τὸν τύραν-
νον, ἀλλὰ τὸν ἀδελφὸν τοῦ τυράννου Ἵππαρχον. ἠγάγετο δὲ 19
γυναῖκα ἀπὸ Σκαπτησύλης τῆς Θρᾴκης πλουσίαν σφόδρα καὶ
μέταλλα κεκτημένην ἐν τῇ Θρᾴκῃ. τοῦτον δὲ τὸν πλοῦτον λαμ- 20
βάνων οὐκ εἰς τρυφὴν ἀνήλισκεν, ἀλλὰ πρὸ τοῦ Πελοποννησια-
κοῦ πολέμου τὸν πόλεμον αἰσθηθεὶς κινεῖσθαι μέλλοντα, προε-

1. ὀρόλου ἀλιμούσιος E, spiritus rc. Aldus addit ἐνθάδε κεῖται. 2. μελιρίσι E et Aldus: correxit Casaubonus ex Pausania I 23 12. 3. Ἡρώδου Coraes ad Plutarchi Cim. c. 4: vulgo Ἡροδότου. 4. ὄντος E et Aldus: correxit Portus. 5. καὶ ..... θεονυ ... αὐτῶι E, καὶ θεο .... αὐτῷ Aldus: supplevit Casaubonus ex Suida.

§. 28, ac simillimum est quod §. 40 ἵνα δὲ μηδὲ . ... ἀγνοῇς, nec multum abludit sapientia moleste prolata §. 55. ὡς καὶ Διδύμῳ δοκεῖ: v. Prolegom. p. 4.

§. 17. Ἡρώδου καὶ Θουκυδίδου τάφος: ex coniecturis, quas Coraes ad Plutarchi Cim. c. 4 sanandis his verbis larga manu suppeditavit, prima quae in ordinem redigeretur digna visa est; idemque Schaeferus ad l. c. sentiebat. ceteris et ingeniosi Graeci et Schaeferi coniecturis facile supersedere poterimus. Herodes Atticus a vanitate minime alienus stirpem suam ad genus Cimonis referebat. ὅτι τοῦ Μιλτιάδου γένους ὄντως: intellige ἐστι Θουκυδίδης. καὶ Πολέμων conf. Prolegom. p. 14.

§. 18. ὁ δὲ Ἕρμιππος κτλ: traditiones de maioribus Thucydidis, quas illatis alienis intercisas esse modo vidimus, hinc continuantur. καὶ ἀπὸ τῶν Πεισιστρατιδῶν: *etiam a Pisistratidis*, h. e. non solum a Miltiade et Cimone. de re dictum est in Prolegom. p. 18 et 13. διὸ καὶ διαφθονεῖν: Hudsonus a coniectura sua διαφωνεῖν abstinuisset, si verba τοῖς περὶ Ἁρμόδιον καὶ Ἀριστογείτονα recte intellexisset: v. annot. ad §. 2 et Prolegom. l. c. in eundem errorem incidit Lozynski *Hermippi Fragm.* p. 124.

§. 19—21. de his commentis Didymi v. Prolegom. p. 18 et 19.

λόμενος συγγράψαι αὐτὸν παρεῖχε πολλὰ τοῖς Ἀθηναίων στρα-
τιώταις καὶ τοῖς Λακεδαιμονίων καὶ πολλοῖς ἄλλοις, ἵνα ἀπαγ-
γέλλοιεν αὐτῷ βουλομένῳ συγγράφειν τὰ γινόμενα [1]) κατὰ και-
21 ρὸν καὶ λεγόμενα ἐν αὐτῷ τῷ πολέμῳ. ζητητέον δὲ διὰ τί καὶ
Λακεδαιμονίοις παρεῖχε καὶ ἄλλοις, ἐξὸν Ἀθηναίοις διδόναι μό-
νοις καὶ παρ' ἐκείνων μανθάνειν. καὶ λέγομεν ὅτι οὐκ ἀσκό-
πως καὶ τοῖς ἄλλοις παρεῖχεν· σκοπὸς γὰρ ἦν αὐτῷ τὴν ἀλή-
θειαν τῶν πραγμάτων συγγράψαι, εἰκὸς δὲ ἦν Ἀθηναίους πρὸς
τὸ χρήσιμον ἑαυτῶν ἀπαγγέλλοντας ψεύδεσθαι, καὶ λέγειν πολ-
λάκις ὡς ἡμεῖς ἐνικήσαμεν, οὐ νικήσαντας. διὸ πᾶσι παρεῖχεν,
ἐκ τῆς τῶν πολλῶν συμφωνίας θηρώμενος τὴν τῆς ἀληθείας κα-
τάληψιν· τὸ γὰρ ἀσαφὲς ἐξελέγχεται τῇ τῶν πλειόνων [2]) συνᾳ-
22 δούσῃ συμφωνίᾳ. ἤκουσε [3]) δὲ διδασκάλων Ἀναξαγόρου μὲν ἐν
φιλοσόφοις, ὅθεν, φησὶν ὁ Ἄντυλλος, καὶ ἄθεος ἠρέμα ἐνομί-
σθη, τῆς ἐκεῖθεν θεωρίας ἐμφορηθείς, Ἀντιφῶντος δὲ ῥήτορος,
δεινοῦ τὴν ῥητορικὴν ἀνδρός, οὗ καὶ μέμνηται ἐν τῇ ὀγδόῃ ὡς
αἰτίου τῆς καταλύσεως τῆς δημοκρατίας [4]) καὶ τῆς τῶν τετρα-
κοσίων καταστάσεως. ὅτι δὲ μετὰ τὸν θάνατον τιμωρούμενοι
τὸν Ἀντιφῶντα οἱ Ἀθηναῖοι ἔρριψαν ἔξω τῆς πόλεως τὸ σῶμα,
σεσιώπηκεν ὡς διδασκάλῳ χαριζόμενος· λέγεται γὰρ ὡς ἔρρι-
ψαν αὐτοῦ τὸ σῶμα οἱ Ἀθηναῖοι ὡς αἰτίου τῆς μεταβολῆς τῆς
23 δημοκρατίας. οὐκ ἐπολιτεύσατο δ' ὁ συγγραφεὺς γενόμενος ἐν

1. *γενόμενα* E. 2. *πλειόνων* E, quamvis Bekkero *πολλῶν* tacite exhibente; v. annot. ad §. 4. 3. *ἤκουσε — φιλοσόφοις* post *ἐμφορηθείς* E et Aldus: transponenda monuit Stephanus. 4. *δημοκρατείας* E, perinde paulo post.

§. 22. quae huic de praeceptoribus Thucydidis narratiunculae fides tribuenda sit expositum est in Prolegom. p. 19 et 20.

§. 23. *οὐκ ἐπολιτεύσατο — τῷ βήματι*: v. Prolegom. p. 20 sq. contraria sed parum credibilia alterius vitae Thucydidis auctor narravit, alium ut videtur Thucydidem confundens cum hoc rerum scriptore; cf. Krügeri *Vit. Thucyd.* p. 43. *ἐστρατήγησε δ' κτλ*: conf. Prolegom. p. 21.

§. 24. *γενόμενος δ' ἐν Αἰγίνῃ*: v. Prolegom p. 22.

§. 25. *ἐν Σκαπτῇ ὕλῃ — ἔγραφεν*: v. Prolegom. l. c. *Τιμαίῳ λέγοντι ὡς φυγὼν ᾤκησεν ἐν Ἰταλίᾳ*: v. pag. 11 et 24.

§. 26. *ἔγραφε δ' οὐδ' οὕτως μνησικακῶν τοῖς Ἀθηναίοις*: v. Prolegom. p. 23. *εἴ γε οὔτε Κλέων — ἀπέλαυσε λοιδορίας*: Cleo ut summus rerum Atheniensium tunc moderator, non tanquam exsilii Thucydidis auctor nominatur. dissentit alter scriptor (§. 46) a Marcellino ex scholiis Thucydidis exhibitus.

ἡλικίᾳ οὐδὲ προσῆλθε τῷ βήματι, ἐστρατήγησε δ' ἀρχέκακον
ἀρχὴν παραλαβών· ἀπὸ γὰρ ταύτης φυγαδεύεται. πεμφθεὶς
γὰρ ἐπ' Ἀμφίπολιν Βρασίδου φθάσαντος καὶ προλαβόντος αὐ-
τὴν ἔσχεν αἰτίαν, καίτοι μὴ πάντα καταστὰς ἀνόνητος Ἀθηναί-
οις· τῆς μὲν γὰρ ἁμαρτάνει, Ἠϊόνα δὲ τὴν ἐπὶ Στρυμόνι [1])
λαμβάνει. ἀλλὰ καὶ οὕτως τὸ πρῶτον ἀτύχημα εἰς ἁμάρτημα
μεταλαβόντες φυγαδεύουσιν αὐτόν. γενόμενος δ' ἐν Αἰγίνῃ μετὰ 24
τὴν φυγήν, ὡς ἂν πλουτῶν, ἐδάνεισε τὰ πλεῖστα τῶν χρημάτων.
ἀλλὰ κἀκεῖθεν μετῆλθε, καὶ διατρίβων ἐν Σκαπτῇ ὕλῃ ὑπὸ πλα- 25
τάνῳ ἔγραφεν· μὴ γὰρ δὴ πειθώμεθα Τιμαίῳ λέγοντι ὡς φυ-
γὼν ᾤκησεν ἐν Ἰταλίᾳ. ἔγραφε δ' οὐδ' οὕτως μνησικακῶν τοῖς 26
Ἀθηναίοις, ἀλλὰ φιλαλήθης ὢν καὶ τὰ ἤθη μέτριος, εἴ γε οὔτε
Κλέων παρ' αὐτῷ οὔτε Βρασίδας ὁ τῆς συμφορᾶς αἴτιος ἀπέ-
λαυσε λοιδορίας, ὡς ἂν τοῦ συγγραφέως ὀργιζομένου. καίτοι 27
οἱ πολλοὶ τοῖς ἰδίοις πάθεσι συνέθεσαν τὰς ἱστορίας, ἥκιστα με-
λῆσαν αὐτοῖς τῆς ἀληθείας. Ἡρόδοτος μὲν γὰρ ὑπεροφθεὶς
ὑπὸ Κορινθίων ἀποδρᾶναί φησιν αὐτοὺς τὴν ἐν Σαλαμῖνι ναυ-
μαχίαν, Τίμαιος δ' ὁ Ταυρομενίτης Τιμολέοντα ὑπερεπῄνεσε τοῦ
μετρίου, καθότι Ἀνδρόμαχον τὸν αὐτοῦ πατέρα οὐ κατέλυσε
τῆς μοναρχίας· Φίλιστος δὲ τῷ νέῳ Διονυσίῳ τοῖς λόγοις
συμπολεμεῖ [2]), Ξενοφῶν δὲ Μένωνι λοιδορεῖται τῷ Πλάτωνος
ἑταίρῳ διὰ τὸν πρὸς Πλάτωνα ζῆλον. ὁ δὲ μέτριος καὶ ἐπιει-
κὴς τῆς ἀληθείας ἥττων.

[Μὴ ἀγνοῶμεν δὲ ὅτι ἐγένοντο Θουκυδίδαι πολλοί, οὗτός τε 28

1. στρυμόνα E. 2. συμπρλεμεῖ Grauertus: vulgo πολεμεῖ.

§. 27. Ἡρόδοτος μὲν — ναυμαχίαν: designat Herodoti librum VIII c. 94. ipsa reprehensio haud dubie iniusta est, quamvis etiam a Plutarcho *de Malign. Herodoti* p. 870 repetita. Τίμαιος — μοναρχίας: v. Suid. s. v. Τίμαιος et Plutarch. in vita Timoleontis. Φίλιστος — συμπολεμεῖ: conf. Diodor. XV 89, XVI 16. Cic. ad Quint. fr. II 13. Plutarch. Dione c. 35. Ξενοφῶν — ζῆλον: denotat Xenophontis Anabas. II 6 21—29: sed Xenophon immerito notatur.

§. 28. Μὴ ἀγνοῶμεν κτλ: additamentum vitae a scholiasta Thucydidis scriptum et sua sibi formula productum a cetero argumento discrepat: conf. annot. §. 16. vitae scriptor a narratione exsilii (§. 23—25) et admonitionibus per eam occasionem admixtis (§. 26—27) ad finem vitae tradendum pergit (§. 31). haec bene cohaerentia divelluntur enumeratione aliorum virorum qui eodem nomine usi sunt imperite interposita. ceterum annotatio scholiastae eruditionem prodit non vulgarem ac minime contemnendam, et hoc praecipue de illis dictum volo quae de poeta Thucydide nar-

ὁ [1]) Ὀλόρου παῖς, καὶ δεύτερος δημαγωγός, Μιλησίου, ὃς καὶ
Περικλεῖ διεπολιτεύσατο· τρίτος δὲ γένει Φαρσάλιος, οὗ μέ-
μνηται Πολέμων ἐν τοῖς περὶ ἀκροπόλεως, φάσκων αὐτὸν εἶναι
πατρὸς Μένωνος. τέταρτος ἄλλος Θουκυδίδης ποιητής, τὸν δῆ-
μον Ἀχερδούσιος, οὗ μέμνηται Ἀνδροτίων ἐν τῇ Ἀτθίδι, λέγων
29 εἶναι υἱὸν Ἀρίστωνος· συνεχρόνισε δ', ὥς φησὶ Πραξιφάνης
ἐν τῷ περὶ ἱστορίας, Πλάτωνι τῷ κωμικῷ, Ἀγάθωνι τραγικῷ,
30 Νικηράτῳ ἐποποιῷ καὶ Χοιρίλῳ [2]) καὶ Μελανιππίδῃ. καὶ ἐπεὶ
μὲν ἔζη Ἀρχέλαος, ἄδοξος ἦν ὡς ἐπὶ πλεῖστον, ὡς αὐτὸς Πρα-
ξιφάνης δηλοῖ, ὕστερον δὲ δαιμονίως ἐθαυμάσθη.]
31 Οἱ μὲν οὖν αὐτὸν ἐκεῖ λέγουσιν ἀποθανεῖν ἔνθα καὶ διέ-
τριβε φυγὰς ὤν, καὶ φέρουσι μαρτύριον τοῦ μὴ κεῖσθαι τὸ
σῶμα ἐπὶ τῆς Ἀττικῆς· ἰκρίον γὰρ ἐπὶ τοῦ τάφου κεῖσθαι, τοῦ
κενοταφίου δὲ τοῦτο γνώρισμα εἶναι ἐπιχώριον καὶ νόμιμον
Ἀττικὸν τῶν ἐπὶ τοιαύτῃ δυστυχίᾳ τετελευτηκότων καὶ μὴ ἐν
32 Ἀθήναις ταφέντων. Δίδυμος δ' ἐν Ἀθήναις, ἀπὸ τῆς φυγῆς
ἐλθόντα, βιαίῳ θανάτῳ (τοῦτο δέ φησι Ζώπυρον ἱστορεῖν). τοὺς
γὰρ Ἀθηναίους κάθοδον δεδωκέναι τοῖς φυγάσι πλὴν τῶν Πει-

1. ὁ om E. 2. χοιριδίωι E et Aldus.

rantur: nam illa (§. 29 et 30) omnia de poeta Thucydide intelligenda esse manifestum est, et vere intellexit Krügerus in *Vita Thucyd.* p. 61 sq. hunc poetam Thucydidem ipsi Didymo plane non cognitum fuisse coniicio: primum enim in duobus scholiis Aristophanis (Acharn. 703 et Vesp. 941) ad Didymum probabiliter referendis quattuor quidem Thucydides enumerantur, sed primus ὁ ἱστορικός, alter ὁ Γαργήττιος, tertius ὁ Θετταλός, quartus ὁ Μελησίου υἱός, poeta vero Thucydides ὁ Ἀχερδούσιος desideratur: contra apud hunc nostrum ὁ Γαργήττιος omissus est, quem alium fuisse atque Acherdusium in aperto est. praeterea in Vita Euripidis ex Didymi commentariis excerpta §. 9 auctor elogii Euripidei a Thucydide compositi non Thucydides *rerum scriptor* sed *poeta* Thucydides appellatus esset, si Didymo compertus is fuisset. ὁ Ὀλόρου παῖς: communem scribendi nominis Olori consuetudinem sequitur, neque uti sustinet sapientia a se ante proposita. τρίτος δὲ γένει Φαρσάλιος, οὗ μέμνηται Πολέμων: conf. Prolegom. p. 14. idem est qui apud scholiastam Aristophanis ὁ Θετταλὸς vocatur. erat πρόξενος Atheniensis, sed origine Thessalus. v. schol. Aristoph. Vesp. 941. ceterum scholiasta Thucydidis in avia discurrens luculentum de hoc Thucydide testimonium neglexit, dico ipsius Thucydidis VIII 92. οὗ μέμνηται Ἀνδροτίων: v. Prolegom. p. 14 sq.

§. 29. Πραξιφάνης — ἱστορίας: v. Prolegom. p. 13. Πλάτωνι τῷ κωμικῷ — Μελανιππίδῃ: cur hos prae ceteris appellavit, non Aristophanem aut Sophoclem aut alios? quippe hos Praxiphanes memoravit propterea, quod omnes eos in aula Macedonica apud Archelaum aut Perdiccam II fuisse

σιστρατιδῶν μετὰ τὴν ἧτταν τὴν ἐν Σικελίᾳ· ἥκοντα οὖν αὐτὸν
ἀποθανεῖν βίᾳ, καὶ τεθῆναι ἐν τοῖς Κιμωνίοις μνήμασιν. καὶ
καταγινώσκειν εὐήθειαν ἔφη τῶν νομιζόντων αὐτὸν ἐκτὸς [1]) μὲν
τετελευτηκέναι, ἐπὶ γῆς δὲ τῆς Ἀττικῆς τεθάφθαι· ἢ [2]) γὰρ
οὐκ ἂν ἐτέθη ἐν τοῖς πατρῴοις μνήμασιν, ἢ κλέβδην τεθεὶς
οὐκ ἂν ἔτυχεν οὔτε στήλης οὔτε ἐπιγράμματος, ἣ τῷ τάφῳ προσ-
κειμένη τοῦ συγγραφέως μηνύει τοὔνομα. ἀλλὰ δῆλον ὅτι κά-
θοδος ἐδόθη τοῖς φεύγουσιν, ὡς καὶ Φιλόχορος λέγει καὶ Δημή-
τριος ἐν τοῖς ἄρχουσιν. ἐγὼ δὲ Ζώπυρον ληρεῖν νομίζω λέ- 33
γοντα τοῦτον ἐν Θρᾴκῃ τετελευτηκέναι, κἂν ἀληθεύειν νομίζῃ
Ἕρμιππος [3]) αὐτόν. τὸ δ' ἐν Ἰταλίᾳ Τίμαιον αὐτὸν καὶ ἄλλους
λέγειν κεῖσθαι μὴ καὶ σφόδρα καταγέλαστον ᾖ. λέγεται δ' αὐ- 34
τὸν τὸ εἶδος γεγονέναι σύννουν μὲν τὸ πρόσωπον, τὴν δὲ κεφα-
λὴν καὶ τὰς τρίχας εἰς ὀξὺ πεφυκυίας, τήν τε λοιπὴν ἕξιν προσ-
πεφυκέναι τῇ συγγραφῇ. παύσασθαι δὲ τὸν βίον ὑπὲρ τὰ πεν-
τήκοντα ἔτη γεγονότα [4]), μὴ πληρώσαντα τῆς συγγραφῆς τὴν
προθεσμίαν.

Ζηλωτὴς δὲ γέγονεν ὁ Θουκυδίδης εἰς μὲν τὴν οἰκονομίαν 35

1. ἐκτὸς — §. 49 ἂν ἀνα] haec desunt E inter folia tertium et quartum. 2. vulgo εἰ γὰρ — μνήμασι συλλήβδην τεθεὶς: emendavit Bekkerus. 3. Ἕρμιππος] legebatur Κράτιππος. 4. γεγονότα de meis addidi: conf. *Vit. Euripid.* §. 9 ὑπὲρ τὰ ἑβδομήκοντα ἔτη γεγονώς. de re v. Prolegom. p. 24 et 27. annot. 3.

compererat. hoc de Agathone, Choerilo, Melanippide iam aliunde accepimus: idem ex hoc loco de Platone comico, Nicerato epico, denique de Thucydide poeta (hic μελοποιός videtur fuisse) edocemur.

§. 30. καὶ ἐπεὶ μὲν ἔζη Ἀρχέλαος — ἐθαυμάσθη: quia rex Archelaus poetam Thucydidem apud se commorantem parum honoravit, eo vivo etiam ceteri non magnopere illum venerati sunt: rege autem caeso (Olymp. 95 1), hic poeta vero suo pretio coepit aestimari. multi viri docti pedem ad haec verba offenderunt.

§. 31. οἱ μὲν οὖν κτλ: v. Prolegom. p. 23 sqq.

§. 32. Δίδυμος δὲ — ἐν τοῖς ἄρχουσιν: de hoc loco perdifficili dictum quod sufficiat in Prolegomenis p. 12 et 23 sq.

§. 33. ἐγὼ δὲ Ζώπυρον ληρεῖν νομίζω: v. Prolegom. p. 6 et 12. κἂν ἀληθεύειν νομίζῃ Ἕρμιππος αὐτόν: v. Prolegom. p. 12 sq.

§. 34. προσπεφυκέναι τῇ συγγραφῇ: h. e. πρὸς τὴν συγγραφὴν πεφυκέναι, *historiae convenientem fuisse.* ὑπὲρ τὰ πεντήκοντα ἔτη γεγονότα: haec temporis ratio ab ea, quae Pamphilae auctoritate apud nos fere recepta est, multum discrepat, ac praeterea falsissima illa nititur Didymi opinione, quae §. 32 exponitur. conf. Prolegom. p. 23 sq.

§. 35. ζηλωτὴς δὲ γέγονεν κτλ: hinc altera pars fragmenti e Didymo

Ὁμήρου, Πινδάρου δὲ εἰς τὸ μεγαλοφυὲς καὶ ὑψηλὸν τοῦ χαρακτῆρος, ἀσαφῶς δὲ λέγων ἀνὴρ ἐπίτηδες, ἵνα μὴ πᾶσιν εἴη βατός, μηδὲ εὐτελὴς φαίνηται παντὶ τῷ βουλομένῳ νοούμενος εὐχερῶς, ἀλλὰ τοῖς λίαν σοφοῖς δοκιμαζόμενος παρὰ τούτοις θαυμάζηται· ὁ γὰρ τοῖς ἀρίστοις ἐπαινούμενος καὶ κεκριμένην δόξαν λαβὼν ἀνάγραπτον εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον κέκτηται τὴν
36 τιμήν, οὐ κινδυνεύουσαν ἐξαλειφθῆναι τοῖς ἐπικρίνουσιν. ἐζήλωσε δὲ ἐπ' ὀλίγον, ὥς φησιν Ἄντυλλος, καὶ τὰς Γοργίου τοῦ Λεοντίνου παρισώσεις καὶ τὰς ἀντιθέσεις τῶν ὀνομάτων, εὐδοκιμούσας κατ' ἐκεῖνο καιροῦ παρὰ τοῖς Ἕλλησι, καὶ μέντοι καὶ
37 Προδίκου τοῦ Κείου τὴν ἐπὶ τοῖς ὀνόμασιν ἀκριβολογίαν. μάλιστα δὲ πάντων, ὅπερ εἴπομεν, ἐζήλωσεν Ὅμηρον καὶ τῆς περὶ τὰ ὀνόματα ἐκλογῆς καὶ τῆς περὶ τὴν σύνθεσιν ἀκριβείας, τῆς τε ἰσχύος τῆς κατὰ τὴν ἑρμηνείαν καὶ τοῦ κάλλους καὶ τοῦ τά-
38 χους. τῶν δὲ πρὸ αὐτοῦ συγγραφέων τε καὶ ἱστορικῶν ἀψύχους ὥσπερ εἰσαγόντων τὰς συγγραφὰς καὶ ψιλῇ μόνῃ χρησαμένων διὰ παντὸς διηγήσει, προσώποις δὲ οὐ περιθέντων λόγους τινὰς οὐδὲ ποιησάντων δημηγορίας, ἀλλ' Ἡροδότου μὲν ἐπιχειρήσαντος, οὐ μὴν ἐξισχύσαντος (δι' ὀλίγων γὰρ ἐποίησε λόγων ὡς προσωποποιίας μᾶλλον ἤπερ δημηγορίας), μόνος ὁ συγγραφεὺς ἐξεῦρέ τε δημηγορίας καὶ τελείως ἐποίησε μετὰ κεφαλαίων καὶ

transcripti incipit. conf. Prolegom. p. 26. *ἀσαφῶς δὲ λέγων ἀνὴρ ἐπίτηδες, ἵνα μὴ πᾶσιν εἴη βατός*: his verbis epigramma Thucydidis honori compositum quod ignoto auctore circumfertur (*Ὦ φίλος, εἰ σοφός εἶ, λαβέ μ' ἐς χέρας· εἰ δὲ πέφυκας Νῆϊς Μουσάων, ῥίψον ἃ μὴ νοέεις. Εἰμὶ γὰρ οὐ πάντεσσι βατός· παῦροι δ' ἀγάσαντο Θουκυδίδην Ὀλόρου, Κεκροπίδην τὸ γένος.*), Didymus aut respexit et voces aliquot inde recepit more sibi solito (cf. annot. ad §. 5), aut ipse in Symposiacis suis in fine commentationis Thucydidiae poeticam artem ad lectores delectandos voluit experiri et ex hoc specimine nonnulla disputationi suae admiscere. etiam subsequentia *ἀνάγραπτον — ἐπικρίνουσιν* ex aliqua parte poetae cuidam deberi videntur.

§. 36. *τὰς Γοργίου . . παρισώσεις καὶ τὰς ἀντιθέσεις τῶν ὀνομάτων*: exempla praebent orationes Thucydidis cum aliis locis, tum hisce I 77 et 144, III 38 et 57 et 82, IV 108. *Προδίκου . . τὴν ἐπὶ τοῖς ὀνόμασιν ἀκριβολογίαν*: conf. Thucyd. I 69, II 62, III 16 et 39.

§. 38. *προσωποποιίας μᾶλλον ἤπερ δημηγορίας*: h. e. ut orationibus historiae admixtis magis singuli homines pingerentur et legentibus ob oculos ponerentur, quam ut conciones iuste compositae haberentur. quae paulo ante de omnibus ante Thucydidem rerum scriptoribus nimis generatim pronuntiavit (*προσώποις δὲ οὐ περιθέντων λόγους τινὰς οὐδὲ ποιησάντων δημηγορίας*), horum prius, ut ostendunt subsequentia, uni Herodoto concedit,

*διαιρέσεως, ὥστε καὶ στάσει ὑποπίπτειν τὰς δημηγορίας· ὅπερ
ἐστὶ λόγων τελείων εἰκών. τριῶν δὲ ὄντων χαρακτήρων φρα-* 39
*στικῶν, ὑψηλοῦ ἰσχνοῦ μέσου, παρεὶς τοὺς ἄλλους ἐζήλωσε τὸν
ὑψηλὸν ὡς ὄντα τῇ φύσει πρόσφορον τῇ οἰκείᾳ καὶ τῷ μεγέθει
πρέποντα τοῦ τοσούτου πολέμου· ὧν γὰρ αἱ πράξεις μεγάλαι,
καὶ τὸν περὶ αὐτῶν ἔπρεπε λόγον ἐοικέναι ταῖς πράξεσιν.*

[Ἵνα δὲ μηδὲ τοὺς ἄλλους ἀγνοῇς χαρακτῆρας, ἴσθι ὅτι μέσῳ 40
*μὲν Ἡρόδοτος ἐχρήσατο, ὃς οὔτε ὑψηλός ἐστιν οὔτε ἰσχνός,
ἰσχνῷ δὲ ὁ Ξενοφῶν.] διά γε οὖν τὸ ὑψηλὸν ὁ Θουκυδίδης καὶ* 41
*ποιητικαῖς πολλάκις ἐχρήσατο λέξεσι καὶ μεταφοραῖς τισί. περὶ
δὲ πάσης τῆς συγγραφῆς ἐτόλμησάν τινες ἀποφήνασθαι ὅτι αὐτὸ
τὸ εἶδος τῆς συγγραφῆς οὐκ ἔστι ῥητορικῆς ἀλλὰ ποιητικῆς. καὶ
ὅτι μὲν οὐκ ἔστι ποιητικῆς, δῆλον ἐξ ὧν οὐχ ὑποπίπτει μέτρῳ
τινί. εἰ δέ τις ἡμῖν ἀντείποι ὅτι οὐ πάντως ὁ πεζὸς λόγος ῥη-
τορικῆς ἐστίν, ὥσπερ οὐδὲ τὰ Πλάτωνος συγγράμματα οὐδὲ τὰ
ἰατρικά, λέγομεν ὅτι ἀλλ' ἡ συγγραφὴ κεφαλαίοις διαιρεῖται καὶ
ἐπὶ εἶδος ἀνάγεται ῥητορικῆς, κοινῶς μὲν πᾶσα συγγραφὴ ἐπὶ* 42
*τὸ συμβουλευτικόν (ἄλλοι δὲ καὶ ὑπὸ τὸ πανηγυρικὸν ἀνάγουσι,
φάσκοντες ὅτι ἐγκωμιάζει τοὺς ἀρίστους ἐν τοῖς πολέμοις γενο-
μένους), ἐξαιρέτως δὲ ἡ Θουκυδίδου ἐν τοῖς τρισὶν εἴδεσιν ὑπο-*

alternm denegat. *μετὰ κεφαλαίων καὶ διαιρέσεως*: post *μετὰ κεφαλαίων* explicationis gratia (*ἐπεξηγητικῶς*) auctor addidit *καὶ διαιρέσεως*. *ὥστε καὶ στάσει ὑποπίπτειν τὰς δημηγορίας*: h. e. inest in omnibus Thucydidis concionibus *quod et orator praecipue sibi obtinendum et auditor* (iudex) *spectandum maxime intelligit*. de *στάσει* tam acute quam eleganter exposuit Quintilianus III 6 §. 1—22.

§. 39. *ἐζήλωσε τὸν ὑψηλὸν κτλ*: conf. Dionys. Halicarn. *de Composit. verb.* c. 22.

§. 40. *ἵνα δὲ μηδὲ τοὺς ἄλλους ἀγνοῇς κτλ*: novum specimen novitiae sapientiae moleste et cum fastu interpositae. sollemnis ista formula *μὴ ἀγνοῶμεν* paululum mutata est, ut fieret *ἵνα δὲ μηδὲ ἀγνοῇς*. conf. ad §. 16.

§. 41. *εἰ δέ τις ἡμῖν ἀντείποι*: hinc *ἀπορία* sive *ζήτησις* incipit, cuius solutio mox (§. 42) sequitur. *ὥσπερ οὐδὲ τὰ Πλάτωνος συγγράμματα οὐδὲ τὰ ἰατρικά*: haec scribens aperte respexit Aristotelis Poeticam c. 1 §. 7 et 8. qui apud Aristotelem sunt *Σωκρατικοὶ λόγοι*, eos Didymus *Πλάτωνος συγγράμματα* recte designavit, pro Aristotelio *ἰατρικὸν ἢ μουσικὸν* simpliciter *τὰ ἰατρικὰ* posuit. conf. annot. ad *Vitam Eurip.* §. 15. *ὅτι ἀλλ' ἡ συγγραφὴ*: ab *ἀλλ' ἡ συγγραφὴ* incipit *recta* oratio ante quam post *verba dicendi* saepius *ὅτι* poni notum est. sic infra §. 43 *λέγομεν ὅτι τῆς μὲν θυγατρὸς ὡς οὐκ ἔστι δῆλον*, ubi *ὡς* quamvis praegresso *ὅτι* subsecutum ex hac loquendi licentia defenditur.

πίπτει [1]) *τῷ μὲν συμβουλευτικῷ διὰ τῶν ὅλων δημηγοριῶν πλὴν τῆς Πλαταιέων καὶ Θηβαίων ἐν τῇ τρίτῃ, τῷ δὲ πανηγυρικῷ διὰ τοῦ ἐπιταφίου, τῷ δὲ δικανικῷ διὰ τῆς δημηγορίας τῶν Πλαταιέων καὶ τῶν Θηβαίων, ἃς ἀνωτέρω τῶν ἄλλων ὑπεξειλόμεθα. ὅπου γὰρ δικασταὶ κρίνουσι Λακεδαιμονίων οἱ παραγενόμενοι, καὶ κρίνεται πρὸς τὴν ἐρώτησιν ὁ Πλαταιεὺς καὶ ἀπολογεῖται περὶ ὧν ἐρωτᾶται διὰ πλειόνων τοὺς λόγους ποιούμενος, καὶ ἀντιλέγει τούτοις ὁ Θηβαῖος εἰς ὀργὴν τὸν Λακεδαιμόνιον προκαλούμενος, ἡ τοῦ λόγου τάξις καὶ μέθοδος καὶ τὸ σχῆμα δικανικὸν καθαρῶς ἀποφαίνει τὸ εἶδος.*

43 *Λέγουσι δέ τινες τὴν ὀγδόην ἱστορίαν νοθεύεσθαι καὶ μὴ εἶναι Θουκυδίδου, ἀλλ' οἱ μέν φασιν εἶναι τῆς θυγατρὸς αὐτοῦ, οἱ δὲ Ξενοφῶντος. πρὸς οὓς λέγομεν ὅτι* [2]) *τῆς μὲν θυγατρὸς ὡς οὐκ ἔστι δῆλον· οὐ γὰρ γυναικείας ἦν φύσεως τοιαύτην ἀρετήν τε καὶ τέχνην μιμήσασθαι· ἔπειτα, εἰ τοιαύτη τις ἦν, οὐκ ἂν ἐσπούδασε λαθεῖν, οὐδ' ἂν τὴν ὀγδόην ἔγραψε μόνον, ἀλλὰ καὶ ἄλλα πολλὰ κατέλιπεν ἄν, τὴν οἰκείαν ἐκφαίνουσα φύσιν. ὅτι δὲ οὐδὲ Ξενοφῶντός ἐστιν, ὁ χαρακτὴρ μόνον οὐχὶ βοᾷ· πολὺ γὰρ τὸ μέσον * * ἰσχνοῦ* [3]) *χαρακτῆρος καὶ ὑψη-*
44 *λοῦ. οὐ μὴν οὐδὲ Θεοπόμπου, καθά τινες ἠξίωσαν. τισὶ δέ, καὶ μᾶλλον τοῖς χαριεστέροις, Θουκυδίδου μὲν εἶναι δοκεῖ, ἄλλως*

1. post *ὑποπίπτει* vulgo comma ponitur vel adeo *στιγμή*, qua deceptus Poppo *ἐν* utique necessarium abesse mavult. 2. *ὅτι*: cf. annot. exeget. extrema ad §. 41. 3. *ἰσχνοῦ*] fortasse fuit *διαφέρει καὶ ἰσχνοῦ*, ut Didymus hoc dixerit, quamvis liber octavus non sublimi stilo compositus sit sed medio, tamen hunc quoque tantum differre a tenui sive *ἰσχνῷ* Xenophontis scribendi genere, ut is auctor eius haberi iure non possit.

§. 43—44. conf. Prolegomena p. 27 sq.

§. 44. *καὶ ὀλίγον καθότι ἀρρωστῶν αὐτὴν φαίνεται συντεθεικώς*: *ὀλίγον* iungendum est cum *συντεθεικώς*, *non multum in eius compositione Thucydidem elaboravisse manifestum est.* *ἀρρωστῶν* noli accipere de imbecillitate *senili* (Thucydides enim anno aetatis quinquagesimo primo ex opinione Didymi mortuus est), sed potius de valitudine postremis vitae annis parum firma.

§ 45. *ἀπέθανε δὲ μετὰ τὸν πόλεμον ἐν τῇ Θρᾴκῃ*: Didymo Thucydides non apud Thraces ex vita decessit, sed Athenis caesus est; idem Thucydidis mortem non demum post bellum Peloponnesiacum accidisse statuit, sed eius anno vicesimo primo. v. Prolegom. p. 24 et 27. a Didymo igitur haec abiudicanda sunt. neque vero ei auctori qui proximum caput

δ' ἀκαλλώπιστος, δι' ἐκτύπων γεγραμμένη, καὶ πολλῶν πλήρης ἐν κεφαλαίῳ πραγμάτων καλλωπισθῆναι καὶ λαβεῖν ἔκτασιν δυναμένων. ἔνθεν καὶ λέγομεν ὡς ἀσθενέστερον πέφρασται, καὶ ὀλίγον καθάπερ ἀρρωστῶν αὐτὴν φαίνεται συντεθεικώς. ἀσθενοῦντος δὲ σώματος βραχύ τι καὶ ὁ λογισμὸς ἀτονώτερος εἶναι φιλεῖ· μικροῦ γὰρ συμπάσχουσιν ἀλλήλοις ὅ τε λογισμὸς καὶ τὸ σῶμα.

[Ἀπέθανε δὲ μετὰ τὸν πόλεμον τὸν Πελοποννησιακὸν ἐν τῇ 45 Θρᾴκῃ, συγγράφων τὰ πράγματα τοῦ εἰκοστοῦ καὶ πρώτου ἐνιαυτοῦ· εἴκοσι γὰρ καὶ ἑπτὰ κατέσχεν ὁ πόλεμος. τὰ δὲ τῶν ἄλλων ἓξ ἐτῶν πράγματα ἀναπληροῖ ὅ τε Θεόπομπος καὶ ὁ Ξενοφῶν, οἷς συνάπτει τὴν Ἑλληνικὴν ἱστορίαν.]

(ΑΛΛΟΥ ΤΙΝΟΣ, ΙΣΩΣ ΔΙΔΥΜΟΥ ΤΟΥ ΚΛΑΥΔΙΟΥ)

Ἰστέον δὲ ὅτι στρατηγήσας ὁ Θουκυδίδης ἐν Ἀμφιπόλει καὶ II δόξας ἐκεῖ βραδέως ἀφικέσθαι καὶ προλαβόντος αὐτὴν [1]) τοῦ 46 Βρασίδου ἐφυγαδεύθη ὑπ' Ἀθηναίων, διαβάλλοντος αὐτὸν τοῦ Κλέωνος· διὸ καὶ ἀπεχθάνεται τῷ Κλέωνι καὶ ὡς μεμηνότα αὐτὸν εἰσάγει πανταχοῦ. καὶ ἀπελθὼν [2]), ὥς φησιν, ἐν τῇ Θρᾴκῃ τὸ κάλλος [ἐκεῖ] τῆς συγγραφῆς συνέθηκεν. ἀφ' οὗ μὲν 47 γὰρ ὁ πόλεμος ἤρξατο, ἐσημειοῦτο τὰ λεγόμενα ἅπαντα καὶ τὰ πραττόμενα, οὐ μὴν κάλλους ἐφρόντισε τὴν ἀρχὴν ἀλλ' ἢ τοῦ μόνον σῶσαι τῇ σημειώσει τὰ πράγματα· ὕστερον δὲ μετὰ τὴν

1. *αὐτὴν*] legebatur *αὐτὸν* vitio nato ex proximo *αὐτὸν τοῦ Κλέωνος*. cf. § 23. 2 *ἀπελθών, ὥς φησιν*] quis ait? Thucydides ipse V 26. scholiasta Thucydidis aut Marcellinus, qui *ἀπελθών* contra mentem auctoris sui cum *ἐν Θρᾴκῃ* iunxit, me indice *ἐκεῖ* adiecit.

suppeditavit (§. 46—53), haec tribui possunt: is enim narrationem suam ab exsilio Thucydidis, non a morte eius inchoavit. relicuum est, ut hanc annotationem a vetere scholiasta Thucydidis, auctore ac fonte Marcellini, interpositam esse pronuntiemus. *οἷς συνάπτει τὴν Ἑλληνικὴν ἱστορίαν*: sua cogitatione scholiasta hic noster Xenophontis Hellenicorum eam partem, qua descriptio belli Peloponnesiaci Thucydidis suppleri potest, h. e. librum I et II, et historiam Graecam, h. e. librum tertium usque ad septimum, tanquam duo corpora eiusdem operis sinistre discrevit. hac auctoris licentia dicendi non bene tanquam argumento usus est Niebuhrius, quo ostenderet priorem ac minorem Hellenicorum partem tanquam proprium opus ab altera separandam esse. v. Museum Rhen. I p. 194.

§. 46. *Ἰστέον δὲ ὅτι κτλ*: v. Prolegom. p. 28 sqq.

ἐξορίαν ἐν Σκαπτῇ ὕλῃ τῆς Θρᾴκης χωρίῳ διαιτώμενος συνέταξε μετὰ κάλλους ἃ ἐξ ἀρχῆς μόνον ἐσημειοῦτο διὰ τὴν μνήμην.

48 Ἔστι δὲ τοῖς μύθοις ἐναντίος διὰ τὸ χαίρειν ταῖς ἀληθείαις. οὐ γὰρ ἐπετήδευσε τοῖς ἄλλοις ταὐτὸν συγγραφεῦσιν οὐδὲ ἱστορικοῖς, οἳ μύθους ἐγκατέμιξαν ταῖς ἑαυτῶν ἱστορίαις, τοῦ τερπνοῦ πλέον τῆς ἀληθείας ἀντιποιούμενοι. ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν οὕτω, τῷ συγγραφεῖ δ' οὐκ ἐμέλησε πρὸς τέρψιν τῶν ἀκουόντων ἀλλὰ πρὸς ἀκρίβειαν τῶν μανθανόντων γράφειν. καὶ γὰρ ὠνόμασεν ἀγώνισμα τὴν ἑαυτοῦ συγγραφήν. πολλὰ γὰρ τῶν πρὸς ἡδονὴν ἀπέφυγε, τὰς παρενθήκας ἃς εἰώθασι ποιεῖν οἱ πλείονες

49 ἀποκλίνας. ὅπου γὰρ [1]) [καὶ] παρ' Ἡροδότῳ καὶ ὁ δελφίς ἐστιν ὁ φιλήκοος καὶ Ἀρίων ὁ κυβερνώμενος μουσικῇ καὶ ὅλως ἡ δευτέρα τῶν ἱστοριῶν, τὴν ὑπόθεσιν ψεύδεται. ὁ δὲ συγγραφεὺς οὗτος ἂν ἀναμνησθῇ τινὸς περιττοῦ, διὰ μὲν τὴν ἀνάγκην λέγει, διηγεῖται δὲ μόνον εἰς γνῶσιν τῶν ἀκουόντων ἀφικνούμενος· ὅ τε γὰρ περὶ Τηρέως αὐτῷ λόγος πέφρασται μόνον περὶ παθῶν τῶν γυναικῶν, ἥ τε Κυκλώπων ἱστορία τῶν τόπων ἐμνημονεύθη χάριν, καὶ ὁ Ἀλκμαίων ὅτε σωφρονεῖν μνημονεύεται, αἰτίαν [2]) τῆς σωφροσύνης αὐτοῦ νήσους ποιεῖ, τὰ δ' ἄλλα οὐκ ἀκριβοῖ.

50 περὶ μὲν οὖν τοὺς μύθους τοιοῦτος, δεινὸς δὲ ἠθογραφῆσαι, καὶ ἐν μὲν τοῖς μέρεσι σαφής, ὑπὸ [3]) δὲ τὴν σύνταξιν ἐνίοτε διὰ

1 *ὅπου γὰρ καὶ*] hoc *καὶ* ex proximo (*καὶ ὁ δελφίς*) natum esse puto. recentiores auctore Schaefero dedere *ὅπου γε καί*, sed vel sic *καὶ* supervacaneum est. vulgo *ὑποστιγμὴ* post *μουσικῇ* et nulla post *ἱστοριῶν*, sed subiectum verbi *ψεύδεται* est ipse Herodotus. conf. §. 12 *εἴ γε μὴ Ἡρόδοτος ψεύδεται*. 1. *αἰτίαν*] legebatur *ἔνθα τά*. conf. Thucyd. II 102. 3. *ὑπὸ*] "immo *περὶ*" Bekkerus.

§. 48. *καὶ γὰρ ὠνόμασεν ἀγώνισμα τὴν ἑαυτοῦ συγγραφήν*: nihil fecit minus; v. I 22. fortasse haec ab alio et imperito homine adscripta aut manca nobis tradita sunt.

§. 49 *ὅ τε γὰρ περὶ Τηρέως — τῶν γυναικῶν*: dicit Thucydidis brevem egressionem II 29, sed non accurate rettulit. pro *περὶ παθῶν* exspectes potius *περὶ τοῦ ἔργου*, sed illud posuit fabulam illam satis notam magis respiciens quam verba Thucydidis. *ἥ τε Κυκλώπων — ἐμνημονεύθη χάριν*: v. Thucyd. VI 2. *αἰτίαν — ποιεῖ*: h. e. *causam resipiendi tradit insulas fuisse.*

§. 50. *τὸ δὲ τῆς συνθέσεως — ἀσαφές*: etiam haec ex verbo *ἔχει* mihi pendent: vulgo punctum post *μέγαν* ponitur manca oratione vel hiante.

§. 51. *Θεμιστοκλέους πάντα*: hoc nimis generatim quidem dictum est, sed non minus tamen ferendum quam *Κλέωνος οὐκ οἶδ' ὅ τι ἂν εἴποι τις.*

τὸ ἐπιτεῖνον τῆς ἑρμηνείας ἄδηλος εἶναι δοκῶν. ἔχει δὲ χαρακτῆρα ὑπέρσεμνον καὶ μέγαν, τὸ δὲ τῆς συνθέσεως τραχύτητος ὂν μεστὸν καὶ ἐμβριθὲς καὶ ὑπερβατικόν, ἐνίοτε δὲ καὶ [1]) ἀσαφές. αἱ δὲ βραχύτητες θαυμασταί, καὶ τῶν λέξεων οἱ νόες πλείονες. τὸ δὲ γνωμολογικὸν αὐτοῦ πάνυ ἐπαινετόν. ἐν δὲ 51
ταῖς ἀφηγήσεσι σφόδρα δυνατός, ναυμαχίας ἡμῖν καὶ πολιορκίας νόσους τε καὶ στάσεις διηγούμενος. πολυειδὴς δὲ ἐν τοῖς σχήμασι, τὰ πολλὰ καὶ τῶν Γοργίου τοῦ Λεοντίνου μιμούμενος, ταχὺς ἐν ταῖς σημασίαις, πικρὸς ἐν ταῖς αὐστηρότησιν, ἠθῶν μιμητὴς καὶ ἄριστος διαγραφεύς· ὄψει γοῦν παρ' αὐτῷ φρόνημα Περικλέους, καὶ Κλέωνος οὐκ οἶδ' ὅ τι ἂν εἴποι τις, Ἀλκιβιάδου νεότητα, Θεμιστοκλέους πάντα, Νικίου χρηστότητα δεισιδαιμονίαν εὐτυχίαν μέχρι Σικελίας, καὶ ἄλλα μυρία, ἃ κατὰ μέρος ἐπιδεῖν πειρασόμεθα. ὡς ἐπὶ πλεῖστον δὲ χρῆται τῇ ἀρχαίᾳ 52
ἀτθίδι [τῇ παλαιᾷ], ἣ τὸ ξ ἀντὶ τοῦ σ παρείληφεν, ὅταν ξυνέγραψε καὶ ξυμμαχίαν λέγῃ, καὶ τὴν δίφθογγον τὴν αι ἀντὶ τοῦ α γράφῃ, αἰεὶ λέγων. καὶ ὅλως εὑρετής ἐστι καινῶν ὀνομάτων. τὰ μὲν γάρ ἐστιν ἀρχαιότερα τῶν κατ' αὐτὸν χρόνων, τὸ αὐτοβοεὶ καὶ τὸ πολεμησείοντες καὶ παγχάλεπον καὶ ἁμαρτάδα καὶ ὕλης φακέλους· τὰ δὲ ποιηταῖς μέλει, οἷον τὸ ἐπιλύγξαι καὶ τὸ ἐπηλύται καὶ τὸ ἀνακῶς καὶ τὰ τοιαῦτα· τὰ δὲ ἴδια, οἷον ἀποσίμωσις καὶ κωλύμη καὶ ἀποτείχισις, καὶ ὅσα ἄλλα παρ' ἄλλοις μὲν οὐ λέλεκται, παρὰ [2]) τούτῳ δὲ κεῖται. μέλει δὲ αὐτῷ καὶ ὄγκου τῶν ὀνομάτων καὶ 53
δεινότητος τῶν ἐνθυμημάτων, καὶ ὥσπερ φθάσαντες εἴπομεν,

1. *καὶ* omittit E. 2. *παρὰ τούτῳ* E et Bekkerus. *παρ' αὐτῷ* perperam ex E Poppo rettulit. v. annot. ad §. 4 extr.

Niciae *felicitatem* (*εὐτυχίαν*) Thucydides memorat V 16, eandem apud ipsum Alcibiades celebrat VI 17

§. 52. *τὸ αὐτοβοεί*: II 81, V 3. *πολεμησείοντες*: I 33. *παγχάλεπον καὶ ἁμαρτάδα*: utrumque apud Thucydidem non legitur. *ὕλης φακέλους*: Thucydidis libri plerique *ὕλης φακέλλους* offerunt II 77. *ἐπιλύγξαι*: immo *ἐπηλυγάζεσθαι* VI 36. *ἐπηλύται καὶ τὸ ἀνακῶς* I 9 et VIII 102. *ἀποσίμωσις*: immo *ἀποσιμώσας* IV 25. *κωλύμη*: I 92, IV 27. *ἀποτείχισις*: *ἀποτείχισμα* et *ἐπιτείχισις* apud Thucydidem legitur VI 99 et I 142, etiam *ἀποτειχίσαντες* I 64, sed *ἀποτείχισις* nusquam in eius historia reperitur: fortasse fuit *ἀποτειχίσας*.

§. 53. *ἀντίπαλον δέος*: III 11. *ἐν οἷς ἐπιταφίους λέγει*: non accurate loquitur: Thucydides enim unam orationem funebrem II 35 composuit. *ἐν οἷς γὰρ ἀμοιβαιός ἐστι*: hoc pertinet ad *ἀντιλογίας* sive orationes adversarias.

βραχύτητος συντάξεως· τὰ γὰρ πολλὰ τῶν πραγμάτων καὶ λέξει δείκνυται. τέθεικε δὲ πολλάκις καὶ πάθη καὶ πράγματα ἀντ' ἀνδρῶν, ὡς τὸ ἀντίπαλον δέος. ἔχει δέ τι καὶ τοῦ πανηγυρικοῦ, ἐν οἷς ἐπιταφίους λέγει, καὶ ποικίλως [1]) εἰρωνείας εἰσφέρων καὶ ἐρωτήσεις ποιούμενος καὶ φιλοσόφοις εἴδεσι δημηγορῶν· ἐν οἷς γὰρ ἀμοιβαῖός ἐστι, φιλοσοφεῖ. τὴν μέντοι ἰδέαν αὐτοῦ τῶν λέξεων καὶ τῶν συνθέσεων αἰτιῶνται οἱ πλείονες, ὧν ἐστὶ Διονύσιος ὁ Ἁλικαρνασεύς· μέμφεται γὰρ αὐτῷ ὡς πεζῇ καὶ πολιτικῇ λέξει χρῆσθαι μὴ δυναμένῳ, οὐκ εἰδὼς ὅτι δυνάμεώς ἐστι ταῦτα πάντα περιττῆς καὶ ἕξεως πλεονεξία [2]).

(ΑΛΛΟΥ ΤΙΝΟΣ, ΙΣΩΣ ΑΝΤΥΛΛΟΥ)

III Φαίνεται δὲ ἐπὶ τῶν Ἡροδότου χρόνων γενόμενος, εἴ γε ὁ
54 μὲν Ἡρόδοτος μέμνηται τῆς Θηβαίων εἰσβολῆς εἰς τὴν Πλάταιαν, περὶ ἧς ἱστορεῖ Θουκυδίδης ἐν τῇ δευτέρᾳ. λέγεται δέ τι καὶ τοιοῦτον, ὥς ποτε τοῦ Ἡροδότου τὰς ἰδίας ἱστορίας ἐπιδεικνυμένου παρὼν τῇ ἀκροάσει Θουκυδίδης καὶ ἀκούσας ἐδάκρυσεν· ἔπειτά φασι τὸν Ἡρόδοτον τοῦτο θεασάμενον εἰπεῖν αὐτοῦ πρὸς τὸν πατέρα τὸν Ὄλορον "ὦ Ὄλορε, ὀργᾷ
55 ἡ φύσις τοῦ υἱοῦ σου πρὸς μαθήματα." ἐτελεύτησε δὲ ἐν τῇ Θρᾴκῃ· καὶ οἱ μὲν λέγουσιν ὅτι ἐκεῖ ἐτάφη, ἄλλοι δὲ λέγουσιν ὅτι ἐν ταῖς Ἀθήναις ἠνέχθη αὐτοῦ τὰ ὀστᾶ κρύφα παρὰ τῶν συγγενῶν καὶ οὕτως ἐτάφη· οὐ γὰρ ἐξῆν φανερῶς θάπτειν ἐν Ἀθήναις τὸν ἐπὶ προδοσίᾳ φεύγοντα. ἔστι δὲ αὐτοῦ τάφος πλησίον τῶν πυλῶν, ἐν χωρίῳ τῆς Ἀττικῆς ὃ Κοίλη καλεῖται, καθά φησιν Ἄντυλλος, ἀξιόπιστος ἀνὴρ μαρτυρῆσαι καὶ ἱστορίαν γνῶναι καὶ διδάξαι δεινός. καὶ στήλη δέ, φησίν, ἕστηκεν ἐν τῇ Κοίλῃ, "Θουκυδίδης Ὀλόρου Ἁλιμούσιος" ἔχουσα ἐπίγραμμα. [τινὲς δὲ προσέθηκαν καὶ τὸ "ἐνθάδε κεῖται·" ἀλλὰ λέγομεν ὅτι νοούμενόν ἐστι τοῦτο καὶ προσυπακουόμενον· οὐδὲ γὰρ ἔκειτο ἐν τῷ ἐπιγράμματι.]

1. ποικίλας E. 2. πλεονεξίας E. 3. Ὀλόρου om E et Aldus.

§. 54. φαίνεται δὲ κτλ: cf. Proleg. p. 30—32. εἴ γε ὁ μὲν Ἡρόδοτος — ἐν τῇ δευτέρᾳ: cf. Herodot. VII 233 extr. et Thucyd. II 2—5.
§. 55. τινὲς δὲ προσέθηκαν: hoc non ex Antyllo petitum sed additum esse a scholiasta facile intelligitur. confidentis orationis habitum et sedu-

Ἔστι δὲ τὴν ἰδέαν καὶ τὸν χαρακτῆρα μεγαλοπρεπής, ὡς 56
μηδὲ ἐν τοῖς οἴκτοις ἀφίστασθαι τοῦ μεγαλοπρεποῦς, ἐμβριθὴς τὴν φράσιν, ἀσαφὴς τὴν διάνοιαν διὰ τὸ ὑπερβατοῖς χαίρειν, ὀλίγοις ὀνόμασι πολλὰ πράγματα δηλῶν, καὶ ποικιλώτατος μὲν ἐν τοῖς τῆς λέξεως σχήμασι, κατὰ δὲ τὴν διάνοιαν τοὐναντίον ἀσχημάτιστος· οὔτε γὰρ εἰρωνείαις οὔτε ἐπιτιμήσεσιν οὔτε ταῖς ἐκ πλαγίου ῥήσεσιν οὔτε ἄλλαις τισὶ πανουργίαις πρὸς τὸν ἀκροατὴν κέχρηται, τοῦ Δημοσθένους μάλιστα ἐν τούτοις ἐπιδεικνυμένου τὴν δεινότητα. οἶμαι δὲ οὐκ ἀγνοίᾳ σχηματισμοῦ τοῦ κατὰ διάνοιαν παρεῖναι τὸν Θουκυδίδην τὸ τοιοῦτον, ἀλλὰ τοῖς ὑποκειμένοις προσώποις πρέποντας καὶ ἁρμόζοντας συντιθέντα τοὺς λόγους· οὐ γὰρ ἔπρεπε Περικλεῖ καὶ Ἀρχιδάμῳ καὶ Νικίᾳ καὶ Βρασίδᾳ, ἀνθρώποις μεγαλόφροσι καὶ γενναίοις καὶ ἡρωϊκὴν ἔχουσι δόξαν, λόγους εἰρωνείας καὶ πανουργίας περιτιθέναι ὡς μὴ παρρησίαν ἔχουσι φανερῶς ἐλέγχειν καὶ ἄντικρυς μέμφεσθαι καὶ ὁτιοῦν βούλονται λέγειν. διὰ τοῦτο τὸ ἄπλαστον καὶ ἀνηθοποίητον ἐπετήδευσε, σώζων κἀν τούτοις τὸ προσῆκον καὶ τῇ τέχνῃ δοκοῦν· τεχνίτου γὰρ ἀνδρὸς φυλάξαι τοῖς προσώποις τὴν ἐπιβάλλουσαν δόξαν καὶ τοῖς πράγμασι τὸν ἀκόλουθον κόσμον.

(ΑΛΛΟΥ ΤΙΝΟΣ)

Ἰστέον δὲ ὅτι τὴν πραγματείαν αὐτοῦ οἱ μὲν κατέτεμον εἰς IV
τρεισκαίδεκα ἱστορίας, ἄλλοι δὲ ἄλλως. ὅμως δὲ ἡ πλείστη καὶ 57
ἡ κοινὴ κεκράτηκε, τὸ μέχρι τῶν ὀκτὼ διῃρῆσθαι τὴν πραγματείαν, ὡς καὶ ἐπέκρινεν ὁ Ἀσκληπιάδης [1]).

1. Ἀσκληπιάδης Krügerus: libri Ἀσκληπιός. v. Proleg. p. 33.

Hae doctrinae vanam ostentationem interpolator etiam hoc loco prodidit. conf. ad §. 16, 28, 40.

§. 57. ἰστέον δὲ ὅτι κτλ: lege Prolegom. p. 32—34.

Σοφοκλέους γένος καὶ βίος.

(ΕΚ ΤΩΝ ΔΙΔΥΜΟΥ)

1 Σοφοκλῆς τὸ μὲν γένος ἦν Ἀθηναῖος, υἱὸς δὲ Σοφίλου, ὃς οὔτε,
ὡς Ἀριστόξενός φησι, τέκτων ἢ χαλκεὺς ἦν, οὔτε, ὡς Ἴστρος,
μαχαιροποιὸς τὴν ἐργασίαν, τυχὸν δὲ ἐκέκτητο [1]) δούλους χαλ-
κέας τε [2]) καὶ τέκτονας. οὐ γὰρ εἰκὸς τὸν ἔκ του [3]) τοιούτου γε-
νόμενον στρατηγίας ἀξιωθῆναι σὺν Περικλεῖ καὶ Θουκυδίδῃ, τοῖς
πρώτοις τῆς πόλεως, ἀλλ' οὐδ' ἂν ὑπὸ τῶν κωμῳδῶν ἄδηκτος
2 ἀφείθη [4]) τῶν οὐδὲ Θεμιστοκλέους ἀπεσχημένων. ἀπιστητέον

Exegi hanc vitam ad codicem *Parisiensem* 2794 (C) et *Ienensem* (I), quorum lectiones a Millero et Weissenbornio enotatas Westermanni diligentia suppeditavit. v. *Nov Annal. philolog. et paedag.* Lips. supplem. tom. 9 p. 512 anni 1843. cum his libris manuscriptis in vita Sophoclis plerumque videntur conspirare ille praestantissimus Parisiensis 2712 (A) et codex Brunckianus (B), quos Brunckius inspexit quidem sed mira socordia in gravissimis rebus neglexit. quo factum est, ut ea vitae Sophocliae forma, quam Thomas Magister innumeris in locis a sese interpolatam exhibuit, Demetrius Triclinius in libro Parisiensi 2711 (T) addita annotatione *διωρθώθη δὲ παρὰ τοῦ σοφωτάτου Μαγίστρου* ascivit, unde in editionem Sophoclis tragoediarum, quae Parisiis a. 1552—1553 apud Adrianum Turnebum prodiit, recepta et primum typis exscripta est, ut igitur ea forma a Brunckio in paucis ad fidem librorum haud interpolatorum correcta ad nostram usque memoriam perduraret, donec Westermannus ad fontes minus corruptos rediret et criticae sanioris exercendae subsidia praeberet. vulgatam ubi memoravi, dixi consentientem Turnebi et Brunckii scripturam.

1. *ἐκέκτητο* I. 2. *τε καὶ* C: *ἢ* (I) et Turnebus, *καὶ* Brunckius. 3. *ἔκ του* C: *ἐκ τοῦ* I et Brunckius. 4. *ἀφῄθη* I.

§. 1. *μαχαιροποιὸς τὴν ἐργασίαν*: adscripsit *τὴν ἐργασίαν*, ut operam opificis ipsius Sophili manu praestitam esse negaret. de re dictum in Prolegomenis p. 42 sq. et 50. Sophili nomen duplici littera liquida scriptum effertur in Marmore Pario epocha 56, Antholog. Palat. VII 21. *σὺν Περικλεῖ καὶ Θουκυδίδῃ*: conf. ad §. 7. *οὐδ' ἂν ὑπὸ τῶν κωμῳδῶν—ἀπεσχημένων*: persimilis in alia re confutatio Istri legitur in scholiis Aristophanis, me iudice ex Didymi commentariis a scholiasta exscripta ad Nubes 967: *ὁ δὲ Ἴστρος Ἱέρωνος αὐτόν φησι μάγειρον ὄντα (τὸν Φρῦνιν) σὺν ἄλλοις δοθῆναι τῷ Ἀριστοκλείτῳ ταῦτα δὲ σχεδιάσαι* (*finxisse*) *ἔοικεν· εἰ γὰρ ἦν γεγονὼς δοῦλος καὶ μάγειρος Ἱέρωνος, οὐκ ἂν ἀπόκρυψαν οἱ Κωμικοί.* conf. Prolegom. p. 57.

§. 2. *ἀπιστητέον κτλ*: v. Prolegom. p. 43.

δὲ καὶ τῷ Ἴστρῳ [1]) φάσκοντι αὐτὸν οὐκ Ἀθηναῖον [2]) ἀλλὰ Φλιάσιον εἶναι. εἰ δὲ καὶ τὸ ἀνέκαθεν Φλιάσιος ἦν, ἀλλὰ πλὴν Ἴστρου [3]) παρ' οὐδενὶ ἑτέρῳ τοῦτ' ἔστιν εὑρεῖν. ἐγένετο οὖν Σο- 3
φοκλῆς τὸ γένος Ἀθηναῖος, δήμου Κολωνῆθεν, καὶ τῷ βίῳ καὶ τῇ ποιήσει περιφανής, καλῶς τε ἐπαιδεύθη καὶ ἐτράφη [4]) ἐν εὐπορίᾳ, καὶ ἐν πολιτείᾳ [5]) καὶ ἐν πρεσβείαις ἐξητάζετο. γεννηθῆναι δὲ αὐτόν φασιν ἑβδομηκοστῇ πρώτῃ Ὀλυμπιάδι [6]) κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος ἐπὶ ἄρχοντος Ἀθήνησι Φιλίππου. ἦν δὲ Αἰσχύλου νεώτερος ἔτη εἰκοσιεπτά [7]), Εὐριπίδου δὲ πρότερος [8]) εἰκο-

1. τῷ στράτωνι C I. 2. οὐκ ἀθηναῖον αὐτὸν I. idem φλυάσιον. 3. στράτωνος ἐν οὐδενὶ I. mox τοῦτ' C: vulgo τοῦτό. 4. εὐτράφη I. 5. πολιτεία ζυγῶν καὶ C. 6. ἑβδομηκοστῇ πρώτῃ ὀλυμπιάδι T: ἐν πρώτῃ ὀλυμπιάδι I, πρώτην ὀλυμπιάδα C. 7. ἔτη εἰκοσιεπτά] ἔτεσιν ἑπτά C I. vitium hinc ortum quod ἔτη et εἴκοσι perperam ἔτειχοσι iunctum et inde ἔτεσιν factum est. conf. Proleg. p. 41 annot. 3. T et vulgo ἔτη δεκαεπτά, Westermannus ἔτεσι δεκαεπτά. 8. πρότερος om C I: T et vulgo παλαιότερος.

§. 3. *ἐγένετο οὖν*: falsis de genere Sophoclis opinionibus amotis, Didymus ipse narrare aggreditur unde et quis Sophocles fuerit. *καὶ ἐν πολιτείᾳ καὶ ἐν πρεσβείαις ἐξητάζετο*: hoc dixit ob praeturam quam Sophocles gessisse vulgo creditur; cf. annot. ad §. 7. *γεννηθῆναι δὲ αὐτόν — Φιλίππου*: annum natalem Sophoclis non historica fide traditum sed computatione probabiliter definitum esse satis certum videtur. ac vulgo ab anno primi certaminis, h. e. ab Olymp. 77 4 retro numeratum esse credo. et Didymus quidem, auctoribus ut videtur Aristoxeno et Istro, eodem vitae suae anno Sophoclem ad tragoediam accessisse statuit, quo Euripides tragicam arenam ingressus esse traditur (v. *Vit. Eurip.* §. 5), h. e. vicesimo sexto: annis enim 26 ab Olymp. 77 4 subtractis, Olymp. 71 2 (= 495) prodit, eumque natalem annum Didymus definivit. marmoris Parii chronographus Sophocli victoriam Apsephione archonte primum reportanti dum annos duodetriginta tribuit, natalem eius annum Olymp. 70 4 constituit. ad nativitatis annum etiam priorem deferuntur qui Sophocli morienti Callia archonte Olymp. 93 3 non annos aetatis nonaginta, sed, ut Pseudo-Lucianus Macrob. c. 24, nonaginta quinque assignare sustinent. atque haec traditio modum egredi videtur, ex duabus autem prioribus utra verior sit, decernere difficile est et lubricum. *ἦν δὲ Αἰσχύλου νεώτερος ἔτη εἰκοσιεπτά κτλ*: temporum ratio, iuxta quam Sophocles annis viginti septem Aeschylo natu minor, Euripide viginti quattuor maior fuisse fertur, falsa est in Euripide, in Aeschylo ad cetera testimonia quam proxime accedit. in Euripide eadem constabit ceterisque notationibus temporum consentiet, si *δεκατέσσαρα* pro *εἰκοσιτέσσαρα* repositum erit, ut monitum in annotatione critica. ac sane pravum *εἴκοσι* pro *δεκα* ob praegressum *εἰκοσιεπτά* irrepere facile potuit. quam ingressus est emendandi viam Lessingius in *Vita Sophoclis* (t. VI p. 296 ed. Lachm.) aliique comprobaverunt, ea tum per se praeruptior est et intuto strata fundamento, neque ratio inde procedit quae ceteris testimoniis de aetate Aeschyli et Euripidis conveniat.

σιτέσσαρα [1]). διεπονήθη δὲ ἐν παισὶ καὶ περὶ τὴν παλαίστραν καὶ μουσικήν, ἐξ ὧν ἀμφοτέρων ἐστεφανώθη, ὥς φησιν Ἴστρος.

1. *εἰκοσιτέσσαρα* C T: *εἴκοσι τέσσαρσι* I. fortasse fuit *δεκατέσσαρα*, ut voluit Boeckhius *Gr. trag. pr.* p. 49: nam ab Olymp. 71 2 (49 ante Chr.) usque 75 1 (480, cum natus est Euripides, aut anni quindecim aut quattuordecim integri ac menses nonnulli conficiuntur.

§. 4. *διεπονήθη — Ἴστρος*: v. Proleg. p. 51. simile quid de Euripide iuvene narratur; cf. Proleg. p. 93 et 102. *ἐδιδάχθη δὲ τὴν μουσικὴν παρὰ Λάμπρῳ*: etiam haec et quae sequuntur usque sub finem §. 5 ex teste proxime memorato (Istro) referri videntur: hunc enim sequitur, donec §. 5 verbo *φασί* ab eo discedit. Ister autem Lamprum, aequalem Sophoclis et arte musica illustrem, tanquam idoneum Sophoclis praeceptorem suo indicio quin exhibuerit, non autem ex fidis rerum monumentis sumpserit, equidem non dubitaverim. nam de iuvenilibus studiis Sophoclis certi quidquam innotuisse a similitudine veri abhorret, cum de virili eius aetate et senectute tam pauca ad posteros tradita sint aut ex Didymo aut ex auctore Didymi sua hausit Athenaeus I p. 20 E: *Σοφοκλῆς δὲ πρὸς τῷ καλὸς γεγενῆσθαι τὴν ὥραν ἦν καὶ ὀρχηστικὴν δεδιδαγμένος καὶ μουσικὴν ἔτι παῖς ὢν παρὰ Λάμπρῳ.* scilicet Lampri et Damonis nomina cum in musicis pervulgata essent (v. Nepotis vita Epaminondae c. 2, Plutarch. de Musica c. 31 p. 685), auctor narrationis illius alterum ex his et natu maiorem summi poetae magistrum perhibuit. *καὶ μετὰ τὴν ἐν Σαλαμῖνι — ἐπινικίων ἐξῆρχε*: ne haec quidem ad fidem historicam aspirare possunt. Athenienses enim illo die periculosissimo nulla *ἐπινίκια* celebravere, sed statim e praelio Salaminio cum cetera classe Persas fugientes persecuti sunt usque ad Andrum (Herodot VIII 108), Andrios pecuniam conferre recusantes obsidione cinxerunt (c. 111), aliquanto post omissa obsidione Andri Carystum depopulati atque his rebus perpetratis tandem Salamina reversi sunt (c. 121). sed iuxta Didymi sive potius Istri narrationem statim post praelium (*μετὰ τὴν ναυμαχίαν*) choros et *ἐπινίκια* celebravisse Athenienses dicuntur. quae cum conciliari nequeant cum luculenta Herodoti narratione (nisi forte rationalistarum artes et machinae adhibentur, quas refellere facilius est quam iucundius), nos Herodotum historiae ducem sequemur, haec autem de choro victoriam celebrante pulchrius quam vere composita esse dicemus. ceterum Athenaeus cum hoc nostro vel verbis tenus consentit l. c.: *μετὰ γοῦν τὴν ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχίαν περὶ τρόπαιον γυμνὸς ἀληλιμμένος ἐχόρευσε μετὰ λύρας· οἱ δὲ ἐν ἱματίῳ φασί.* quod dicit Athenaeus, *μετὰ λύρας ἐχόρευσε*, hoc idem valet ac Didymi dictum *μετὰ λύρας τοῖς παιανίζουσι τῶν ἐπινικίων ἐξῆρχε*: scilicet chori saltantis canentisque dux Sophocles fuisse perhibetur, qui canendi modos cithara et saltandi *σχήματα* corporis motibus praeibat. eiusmodi negotium virum vel iuvenem decebat et viri facultatem artemque postulabat: Sophocles autem Olymp. 71 2 natus tempore praelii Salaminii (Olymp. 75 1) annos decem quinque nondum expleverat. itaque vel propter aetatem chorum illum *τῶν παιανιζόντων* ducere non potuit. neque multum profecerimus, si duobus annis prius natum esse Sophoclem statuere animum inducamus. sed erunt qui dicant, puerorum chorum fuisse *τὰ ἐπινίκια* celebrantium. sed hoc est illud testes corrumpere et falsa narrantibus latebras suggerere. testes enim nostri, Didymus et Athenaeus (auctorem utrique communem Istrum esse ante probabiliter ostensum est), contrarium pronuntiant.

ἐδιδάχθη δὲ τὴν μουσικὴν παρὰ Λάμπρῳ 1), *καὶ μετὰ τὴν ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχίαν Ἀθηναίων περὶ τρόπαιον ὄντων μετὰ λύρας γυμνὸς ἀληλιμμένος* 2) *τοῖς παιανίζουσι τῶν ἐπινικίων ἐξῆρχεν. παρ' Αἰσχύλῳ* 3) *δὲ τὴν τραγῳδίαν ἔμαθε, καὶ πολλὰ ἐκαινούργησεν ἐν τοῖς ἀγῶσι, πρῶτον* 4) *μὲν καταλύσας τὴν ὑπόκρισιν τοῦ ποιητοῦ διὰ τὴν ἰδίαν μικροφωνίαν* 5)· *πάλαι γὰρ καὶ ὁ ποιητὴς ὑπεκρίνετο* 6)· *αὐτοὺς δὲ τοὺς χορευτὰς* 7) *ποιήσας ἀντὶ δώδεκα δεκαπέντε καὶ τὸν τρίτον ὑποκριτὴν ἐξεῦρεν. φασὶ δὲ ὅτι*

1. *λάμπῳ* A C I, *λαμπίῳ* B, *λαμπίου* T: correxit Brunckius. 2. *ἀλειλημμένος* I. 3. *αἰσχύλου* C. 4. *πρῶτα* C. 5. *ἰσχνοφωνίαν* vulgo, non C I. 6. *ἀπεκρίνατο* C. 7. *ποιητὰς ποιήσας* I.

§. 5. *παρ' Αἰσχύλῳ δὲ τὴν τραγῳδίαν ἔμαθε*: sicut paulo ante Lamprum musicae artis praeceptorem Sophoclis ab Istro acceptum Didymus exhibuit, ita nunc Aeschylum tragoediae magistrum ab eodem sumpsit: nam si alius fuisset huius rei auctor, nomen eius recitaturus erat. Istro autem Aeschylus praeceptor nobilissimi tragoediarum scriptoris utique idoneus et propter aetatem et propter nominis gloriam visus est: cetera quae opinioni suae obstabant, Ister parum respexit et hunc Didymus incuriose secutus est. uterque de vero proprioque magistro cogitavit, ut verba *παρ' Αἰσχύλῳ — ἔμαθε* arguunt, non de eiusmodi disciplina qua quis antecessoris opera cognoscit et imitari studet. *διὰ τὴν μικροφωνίαν* (*ἰσχνοφωνίαν* Thomas in libro T substituit): de vocis Sophocleae tenuitate quidquam certi ad posteros traditum fuisse equidem vix crediderim. immo cum de histrionis partibus a Sophocle in tragoediis suis sustentatis nihil innotuisset, contra fama divulgatum esset, eum suscepisse eiusmodi personas agendas, in quibus vocis fortioris usus non esset, *μικροφωνίαν* excogitatam esse credo, ut *ἀπορία*, cur Sophocles ab opere histrionis plerumque abstinuerit, solveretur. *χορευτὰς ποιήσας ἀντὶ δώδεκα δεκαπέντε*: hoc novavit, posteaquam dux chori (coryphaeus) prae ceteris choreutis excellere et praecipua cura agere coepit. quo factum est, ut praeter ipsum binae partes chori magis magisque discernerentur. quae ne inaequales (6 et 5) evaderent, aut unus aut tres ad traditum numerum accedere debebant. si unus adiectus esset, numeri concinnitas deerat, si tres, tam *κατὰ ζυγὰ* quam *κατὰ στοίχους* in orchestram ingrediendi ratio et ordo sustineri poterat. hoc igitur Sophocles elegit. *τὸν τρίτον ὑποκριτὴν ἐξεῦρεν*: conf. Aristotel Poet. c. 4 §. 13 quaeque in *Commentario* ad h. l. disputavi, etiam Proleg. p. 68. De re copiose exposuit C. Fr. Hermannus *de Distributione person. inter histr. in trag. Graecis*, Schoellius in *Vita Sophoclis* p. 65 sqq. alii. *φασὶ δὲ ὅτι καὶ κιθάραν — αὐτὸν γεγράφθαι*: *φασὶ* illud huic narratiunculae praepositum argumento est, hinc non ex Istro sed ex alio quo fonte referri. hunc autem fuisse memorabilium aliquem scriptorem coniicio et famam ipsam ita natam esse crediderim, ut, cum imago Thamyridis in *στοᾷ ποικίλῃ* ad tragoediam Sophocleam expressa esset, ipsum Sophoclem sub Thamyridis persona latere homines curiosi rumoribus spargerent. ac Didymus quidem una persona a Sophocle acta contentus fuit, Athenaeus autem etiam de altera quadam inaudivit I p. 20 F: *καὶ τὸν Θάμυριν διδάσκων αὐτὸς ἐκιθάρισεν· ἄκρως δὲ ἐσφαίρισεν, ὅτε τὴν Ναυσικάαν καθῆκεν.*

κιθάραν ἀναλαβὼν ἐν μόνῳ τῷ Θαμύριδί ποτε [1]) ἐκιθάρισεν,
ὅθεν καὶ ἐν τῇ ποικίλῃ στοᾷ μετὰ κιθάρας αὐτὸν γεγράφθαι [2]).
6 Σάτυρος δέ φησιν ὅτι καὶ τὴν καμπύλην βακτηρίαν αὐτὸς ἐπε-
νόησεν. φησὶ δὲ καὶ Ἴστρος τὰς λευκὰς κρηπῖδας αὐτὸν ἐξευ-
ρηκέναι, ἃς ὑποδεσμεύονται οἵ τε χορευταὶ καὶ οἱ ὑποκριταί [3])·
καὶ πρὸς τὰς φύσεις αὐτῶν γράψαι τὰ δράματα, ταῖς δὲ Μού-
7 σαις θίασον ἐκ τῶν πεπαιδευμένων συναγαγεῖν. καὶ ἁπλῶς εἰ-

1. ποτε om I. 2. ἔγραψαν I. 3. χορευταὶ καὶ οἱ ὑποκριταί I: vulgo ὑποκρ. καὶ οἱ χορ.

§. 6. *Σάτυρος — ἐπενόησεν*: v. Prolegom. p. 53. *τὰς λευκὰς κρηπῖδας*: v. Prolegom. p. 51. *καὶ πρὸς τὰς φύσεις κτλ*: v. Prolegom p. 51. *ταῖς δὲ Μούσαις θίασον ἐκ τῶν πεπαιδευμένων συναγαγεῖν*: ante de histrionibus dixit: nunc ad choreutas ex ingenuis Atheniensibus eligi solitos pervenit. Sophocles tragoediarum scriptor feracissimus multos choreutas cantica sua edocuit: doceri autem carmina Sophoclis ipsa eruditio fuit et institutio (*παίδευσις*). itaque *πεπαιδευμένοι* fuere quicunque in fabulis Sophocliis orchestram ingressi sunt. qui cum in tanta multitudine dramatum permulti fuerint, Sophocles ut magnus et insignis *διδάσκαλος* catervam eruditorum Musis congregavisse dicitur.

§. 7—9. Haec commentationis particula sic disposita est, ut primum existimatio et amor civium erga Sophoclem (§. 7), dein Sophoclis in cives suos studium (§. 8), postremo deorum erga Sophoclem favor (§. 9) explicetur atque nonnullis exemplis comprobetur.

§. 7. *νίκας δὲ ἔλαβεν εἴκοσιν*: Atheniensium erga Sophoclem amorem et venerationem duobus argumentis Didymus probat, quorum prius numero victoriarum, alterum praetura demandata continetur. de victoriis a Sophocle partis dictum est in Prolegom. p. 115 *ὥς φησι Καρύστιος*: v. Prolegom p. 52. *Ἀθηναῖοι — πολέμῳ*: dicit Samiam Sophoclis praeturam, bellum autem adversus Samios ab Atheniensibus novem annis ante Peloponnesiacum susceptum hic noster designavit *τὸν πρὸς Ἀναιίτας πόλεμον*, nova captans et exquisita. etenim optimates Samiorum ex continente Asiae, quo refugerant, cum Athenienses Samum occupabant ibique popularem dominationem constituebant, exorti patriam insulam receperunt et praesidium Atheniensium a se captum inde abstulerunt, iidemque postquam Samus ditionis Atheniensium facta erat, per plures annos in Asiae littore ex oppido Anaeitarum Athenienses lacessere damnaque iis inferre non destiterunt. lege Thucydidem I 115, III 19 et 32, IV 75, VIII 19. altera igitur adversus Samios expeditio Atheniensium quoniam a Samiorum optimatibus proruentibus ex Asiae littore et ea regione, ubi aliquanto post Anaeitae Atheniensibus insidias struere solebant, provocata est, hanc Didymus *bellum adversus Anaeitas*, h. e. optimates Samios, appellavit. *Ἀναιίτας* ex corruptis codicum vestigiis dedi Thucydidem III 19 secutus: *Ἀναίαν*, ut Brunckio duce vulgo scribunt, non verum esse Thucydides ostendit III 32 *ἐξ Ἀναίων*, IV 75 *τὰ Ἄναια*, VIII 19 *ἐς Ἄναια*. alteri Samiae expeditioni cum alii duces interfuere, tum Pericles et Thucydides Melesiae filius. inde hic noster §. 1 scripsit: *οὐ γὰρ εἰκὸς τὸν ἐκ του τοιούτου γενόμενον στρατηγίας ἀξιωθῆναι σὺν Περικλεῖ καὶ Θουκυδίδῃ, τοῖς πρώτοις τῆς πό-*

πεῖν [1]); τοῦ ἤθους τοσαύτη γέγονε χάρις, ὥστε πάντοτε [2]) καὶ πρὸς ἁπάντων αὐτὸν στέργεσθαι. νίκας δὲ ἔλαβεν εἴκοσιν [3]), ὥς φησὶ Καρύστιος, πολλάκις δὲ καὶ δευτερεῖα ἔλαβε, τρίτα [4]) δὲ οὐδέποτε. Ἀθηναῖοι δὲ αὐτὸν ἐτῶν πεντήκοντα πέντε ὄντα [5]) πρὸ τῶν Πελοποννησιακῶν στρατηγὸν εἵλοντο [6]) [ἔτεσιν ἑπτὰ] ἐν τῷ

1. *ἁπλῶς εἰπεῖν* T: *ἁπλῶς ἔστιν εἰπεῖν* I, *ἁπλῶς ὡς ἐστὶν εἰπεῖν* Brunckius. 2. *πάντοτε καὶ* C: *πάντη τε καὶ* I, *πάνυ* T. 3. *εἴκοσιν* om I vacuo spatio post *καρύστιος* relicto. 4. *τρίτου* C.
εννέα
5. *ἐτῶν πεντήκοντα πέντε ὄντα*] *ἐτῶν ἑξηκονταπέντε.....* C, *ἐτῶν ξθ' ὄντα πέντε* I, *ἐτῶν ὄντα ξέ* T, *ἐτῶν ὄντα ἑξήκοντα πέντε* B, *πεντήκοντα ἑπτὰ ἐτῶν ὄντα* Brunckius qui ex A *ξθ'* attulit. *πεντήκοντα πέντε* recepi a Lessingio quem in ceteris ego non sequar. 6. *πρὸ τῶν πελοποννησιακῶν στρατηγὸν εἵλοντο ἔτεσιν ἑπτὰ* C, *πρὸ*

λεως. ob eandem causam §. 3 idem posuit haec: *ἐν πολιτείᾳ καὶ ἐν πρεσβείαις ἐξητάζετο*. nam hominem, cuius ex ore melle dulcior oratio fluebat, non tam pugnis paratum quam legationibus obeundis habilem sibi cogitavit. tempus quo haec gesta sint, non recte definitum est *πρὸ τῶν Πελοποννησιακῶν ἔτεσιν ἑπτά*, cum verior ratio annos novem decemve colligat. sed *ἔτεσιν ἑπτὰ* et loco suo et discrepante ceterorum numerorum modulo inutile falsumque manus alienae additamentum esse intelligitur. scholiasta Aristophan. Vesp. ex libro Veneto Bekkeri ad v. 283 haec habet, quae me iudice ex ipsius Didymi commentariis excerpta sunt: *τὰ δὲ περὶ Σάμον ἐνναχαιδεκάτῳ ἔτει πρότερον* (h. e. ante Vespas in scenam commissas) *ἐπὶ Τιμοκλέους γέγονε καὶ ἐπὶ τοῦ ἑξῆς Λορυχίδου* (*Μορυχίδου*), h. e. Olymp. 84 4 et 85 1. conf. Boeckhii commentatio I *de Sophoclis Antigona* c. 3 et 4. inde liquet verissime a Lessingio *πεντήκοντα πέντε* correctum esse: nam ab Olymp. 71 2 (495 ante Chr.) natali Sophoclis anno usque ad Olymp. 85 1 (440) anni quinquaginta quinque colliguntur. hinc corrigenda sunt quae dixi in commentatione mea *de Sophoclis praetura quae fertur* (v Museum Rhenan. an. 1842 p. 199 sq.). de ipsa praetura Sophoclis haec pauca monuisse h. l. sufficiat, a rerum scriptoribus, quorum Samiae expeditionis narrationes ad nos pervenerunt, ne verbum quidem de Sophocle Periclis ac ceterorum praetorum collega proferri, dico *Thucydidem* I 115—117, *Diodorum* XII 27—28, *Plutarchum* in Pericle c. 25—28. neque vero auctores a Plutarcho laudati (c. 26 et 28), *Stesimbrotus, Aristoteles, Duris, Ephorus*, Sophoclis mentionem fecerant, id quod ex Plutarchi silentio recte colligitur Plutarchi silentium magis memorabile est, propterea quod alio loco (in Pericle c 8) de Sophocle et Pericle praeturae collegis quaedam inaudivisse se ostendit. ex *Ἀτθίδων* scriptoribus unus Androtio, qui post Timaeum vixit (cf. Prolegom. p. 14), Sophoclem in ducibus expeditionis Samiae rettulit. ceteri qui de Sophocle Periclis collega verba fecerunt, aut *rerum memorabilium* scriptores fuere aut ex his fontibus minime fidis sua hauserunt, iique de eadem re discrepantia et varia tradiderunt. quae cum ita sint, rem ipsam fictam mihi videri pronuntiavi et demonstrare conatus sum in ea quam modo nominavi dissertatione. sed de hac re quomodocunque indicabitur, id saltem (et hoc caput rei est) nunc ostendisse mihi videor, Antigonae Sophoclis causam ab hac expeditione ac praetura prorsus separandam esse: v. Prolegom. p 60 annot.

8 πρὸς Ἀναιίτας [1]) πολέμῳ. οὕτω δὲ φιλαθήναιος [2]) ἦν, ὥστε πολλῶν μεταπεμπομένων αὐτὸν βασιλέων [3]), οὐκ ἐθέλησε τὴν πατρίδα καταλιπεῖν. ἔσχε δὲ καὶ τὴν Ἄλκωνος [4]) ἱερωσύνην, ὃς ἥρως ἦν [5]) μετὰ Ἀσκληπιοῦ [6]) παρὰ [7]) Χείρωνι, ἱδρυνθεὶς
9 ὑπὸ Ἰοφῶντος τοῦ υἱοῦ μετὰ τὴν τελευτήν [8]). γέγονε δὲ καὶ θεοφιλὴς [9]) ὁ Σοφοκλῆς ὡς οὐκ ἄλλος, καθά φησιν Ἱερώνυμος περὶ τῆς χρυσῆς στεφάνης. ταύτης γὰρ ἐξ ἀκροπόλεως κλαπεί-

τῶν πελοποννησιακῶν στρατηγὸν εἵλοντο ἔτεσιν ἑπτὰ πέντε πρὸ τῶν πελοποννησιακῶν I, στρατηγὸν εἵλοντο πρὸ τῶν πελοποννησιακῶν ἔτεσιν ἑπτὰ T. 1. Ἀναιίτας] ἀνανίῳ C, ἀράνικον I, ἀνανίαν addito ους super finali αν T. 2. φιλαθήναιος I: vulgo φιλαθηναιότατος. 3. μεταπεμπόντων αὐτὸν (C αὐτὸν omittit) βασιλέων CI: vulgo βασιλέων μεταπεμπομένων αὐτόν. 4. Ἄλκωνος Meinekius (*Frag. comic. Gr.* II 2 p 683 ann.) ex Apollonio Rhod. I 97 eiusque scholiasta: codices Ἄλωνος. 5. ἦν om I. 6. ἀσκληπιὸν I. 7. περὶ C. 8. ἱδρυνθεὶς — τελευτήν C: ἱδρυνθεὶς μετὰ τὴν τελευτὴν ἰοφῶντος τοῦ υἱοῦ I. 9. θεοσεβὴς I.

§. 8. *πολλῶν μεταπεμπομένων αὐτὸν βασιλέων*: ut Euripidem et plures alios poetas, sic etiam Sophoclem ab Archelao Macedoniae rege invitatum esse satis verisimile videtur: sed multos reges cum dicit hic noster, veritatem egreditur. *τὴν τοῦ Ἄλκωνος ἱερωσύνην*: Alco heros medendi arti praepositus tanquam gemellus Aesculapii cum Chirone vitae quadam societate iunctus fuisse dicebatur, ideoque communibus sacris uterque cultus est. inde causa apparet cur etiam Aesculapius praecipuo favore Sophoclem dignum habuisse narretur. lege Plutarchi Numam c. 4: Σοφοκλεῖ δὲ καὶ ζῶντι τὸν Ἀσκληπιὸν ἐπιξενωθῆναι λόγος ἐστὶ πολλὰ μέχρι δεῦρο διασώζων τεκμήρια, καὶ τελευτήσαντι τυχεῖν ταφῆς ἄλλος θεός, ὡς λέγεται, παρέσχεν. adde Etym. magn. s. v. *Δεξίων*, Philostrat. Vit. Apoll III 17, Philostr. iun. Imag. XIII. Alco filius Erechthei, pater Phaleri ferebatur: v. Apollon. Rh. schol. I 97. fama de Aesculapio hospitio Sophoclis excepto fortasse hinc nata est, quod Sophocles Alconis sacerdos aliquando et hunc et cognatum Aesculapium, h. e. utriusque dei imagines, tricliniis excepit. *ἱδρυνθεὶς ὑπὸ Ἰοφῶντος τοῦ υἱοῦ μετὰ τὴν τελευτήν*: cur hoc loco minime apto, ut videtur, de statua mortuo Sophocli posita a filio Iophonte rettulit? magis mirum hoc videtur, cum aliquanto post de morte Sophoclis, de sepultura et monumento eius exponatur. sed mirari desinemus, sicubi Sophoclem *sacerdotem Alconis* habitu sacerdotali ab Iophonte propositum esse tenuerimus, id quod ex nexu narrationis consectarium est. de hac statua memorabilia quaedam Valerius Maximus VIII 7 ext. 12 servavit: *Sophocles quoque gloriosum cum rerum natura certamen habuit, tam benigne mirifica illi opera exhibendo quam illa operibus eius tempora liberaliter subministrando. prope enim centesimum annum attigit* (hoc Valerius posuit numerum nonagenarium exaggerando), *sub ipsum transitum ad mortem Oedipode Coloneo scripto. qua sola fabula omnium eiusdem studii poetarum praeripere gloriam potuit, idque ignotum esse posteris filius Sophoclis Iophon noluit, sepulcro patris quae rettuli insculpendo.*

§. 9. *καθά φησιν Ἱερώνυμος περὶ τῆς χρυσῆς στεφάνης*: v. Prolegom. p. 47 sqq. eandem fabulam aliter exornatam narravit Cicero de *Divinat.* I 25 54: *qui* (Sophocles), *cum ex aede Herculis patera aurea gra-*

σης κατ' ὄναρ Ἡρακλῆς ἐδήλωσε Σοφοκλεῖ, λέγων τὴν οἰκίαν [1])
ἐν δεξιᾷ εἰσιόντι ἐρευνῆσαι, ἔνθα ἐκέκρυπτο [2]). ἐμήνυσε δὲ αὐ-
τὴν τῷ δήμῳ [3]) καὶ τάλαντον ἐδέξατο· τοῦτο γὰρ ἦν προκη-
ρυχθέν. λαβὼν οὖν [4]) τὸ τάλαντον ἱερὸν ἱδρύσατο Μηνυτοῦ
Ἡρακλέους. φαίνεται δὲ καὶ παρὰ πολλοῖς ἡ πρὸς τὸν υἱὸν 10
Ἰοφῶντα γενομένη αὐτῷ δίκη ποτέ. ἔχων γὰρ ἐκ μὲν Νικοστρά-
της [5]) Ἰοφῶντα, ἐκ δὲ Θεωρίδος [6]) Σικυωνίας Ἀρίστωνα, τὸν [7])
ἐκ τούτου γενόμενον παῖδα Σοφοκλέα τοὔνομα πλέον ἔστεργεν· καί
ποτε ἐν δράματι παρήγαγε [8]) τὸν Ἰοφῶντα φθονοῦντα καὶ πρὸς
τοὺς φράτορας [9]) ἐγκαλοῦντα τῷ πατρὶ ὡς ὑπὸ γήρως παραφρο-
νοῦντι· οἱ δὲ τῷ Ἰοφῶντι ἐπετίμησαν. Σάτυρος δέ φησιν αὐτὸν
εἰπεῖν, "εἰ μὲν εἰμὶ Σοφοκλῆς, οὐ παραφρονῶ, εἰ δὲ παραφρονῶ,
Σοφοκλῆς οὐκ εἰμί [10])," καὶ [11]) τότε τὸν Οἰδίποδα ἀναγνῶναι [12]).
τελευτῆσαι δὲ αὐτόν φασιν Ἴστρος καὶ Νεάνθης τοῦτον τὸν τρό- 11

1. οἰκίαν] μὴ οὖσαν οἰκίαν A, μὴ οἰκοῦσαν οἰκίαν C, μὴ οἰκίαν I. additamenta διττογραφίᾳ nata sunt, μὴ ex τὴν et οἰκοῦσαν vel οὖσαν ex οἰκίαν. 2. ἐκέκρυπτο C: κέκρυπται I, ἐκρύπτετο vulgo. 3. αὐτὸν τῷ δήμῳ C. 4. δὲ I. 5. νικοστράτου C. 6. θευρίδος (εω super ευ addito) συκυωνίας C. 7. τὸν — Σοφοκλέα vulgo et (T): τὸν ἐκ τούτου μὲν γεννᾷ μὲν σοφοκλῆν C, γεννᾷ παῖδα σοφοκλῆν καὶ I 8. παρήγαγε] προσήγαγε C I, quos παρήγαγε voluisse recte dicit Westermannus, εἰσήγαγε (T) et vulgo. 9. φράκτορας C I. 10 σοφοκλῆς οὐκ εἰμί C: vulgo οὐκ εἰμὶ Σοφ. 11. καὶ om (C T) et Turnebus, habet I. 12. ἀναγνῶναι C T: παραναγνῶναι (I) et Brunckius.

vis surrepta esset. in somnis vidit ipsum deum dicentem qui id fecisset. quod semel ille iterumque neglexit. ubi idem saepius, ascendit in Ariopagum: detulit rem. Ariopagitae comprehendi iubent eum qui a Sophocle erat nominatus. is quaestione adhibita confessus est pateramque rettulit. quo facto fanum illud Indicis Herculis nominatum est.

§. 10. φαίνεται δὲ καὶ παρὰ πολλοῖς κτλ: v. Prolegom p. 43 sq. et 53 sq. ἐκ δὲ Θεωρίδος Σικυωνίας Ἀρίστωνα: de Theoride Welckerus primum veriora sensit et docuit: optime autem de hac quaestione Schoellius exposuit in *Vita Sophoclis* p. 364 sqq. Theorin Schoellius interpretatur *Festfeier*, Aristonem *Preissmann*. idem monuit Sophoclem iuniorem rectius a Diodoro XIV 53 filium Sophoclis perhiberi quam nepotem ab hoc nostro, a scholiasta Aristophanis Ran. 73, a Suida.

§. 11. τελευτῆσαι δὲ αὐτόν κτλ: v. Prolegom. p. 49 sq. et 58 sq. ὅτι — χαρᾷ νικηθεὶς ἐξέλιπεν: hanc traditionem tanquam probabiliorem secutus est Valerius Maximus IX 12 extern. 5: *Sophocles ultimae iam senectutis cum in certamine tragoediam dixisset, ancipiti sententiarum eventu diu sollicitus, aliquando tamen una sententia victor causam mortis gaudium habuit.* Plinius N. H. VII 54 (53): *gaudio obiere . . . Sophocles et Dionysius Siciliae tyrannus, uterque accepto tragicae victoriae nuntio.* Valerius Maximus cum Didymo hactenus consentit, quod de tragoedia ab ipso poeta

πον [1])· *Καλλιππίδου* [2]) *ὑποκριτοῦ ἀπὸ ἐργασίας ἐξ Ὀποῦντος*
ἥκοντος περὶ τοὺς Χόας πέμψαντος [3]) *αὐτῷ σταφυλήν, λαβόντα*
τὸν Σοφοκλέα [4]) *ῥᾶγα εἰς τὸ στόμα αὐτοῦ ἔτι ὀμφακίζουσαν ὑπὸ*
τοῦ ἄγαν γήρως ἀποπνιγέντα τελευτῆσαι. Σάτυρος δέ φησι τὴν
Ἀντιγόνην ἀναγιγνώσκοντα καὶ ἐμπεσόντα [5]) *περὶ τὰ τέλη νοήματι*
μακρῷ καὶ μέσην ἢ καὶ ὑποστιγμὴν πρὸς ἀνάπαυσιν μὴ ἔχοντι
ἄγαν ἀποτεῖναι [6]) *τὴν φωνὴν καὶ τὴν ψυχὴν σὺν τῇ φωνῇ ἀφεῖ-*
ναι· οἱ δὲ ὅτι μετὰ τὴν τοῦ δράματος [7]) *ἀνάγνωσιν, ὅτε νι-*
12 *κῶν ἐκηρύχθη, χαρᾷ νικηθεὶς ἐξέλιπεν. καὶ* [8]) *ἐπὶ τὸν πατρῷον*

1. post *τρόπον* in I suffusculo atramento *ὅπως φασὶν ἴστρος καὶ νεάνθης τελευτῆσαι τὸν σοφοκλῆν*, in C *ἱστορία*. 2. *καλλιπίδου* I, *καλλιπίδα* C. 3. *πέμψαντος* I: vulgo *πέμψαι*. 4. *λαβόντα τὸν σοφοκλέα* I: *τὸν σοφ. λαβόντα* C. 5. *ἐκπεσόντα* C. mox *ἢ καὶ* C T: *καὶ* (I). 6. *ἀποτεῖναι* I: *ἀπεκτείνατο* C, *ἀποτείναντα* T. 7. *τοῦ δράματος* om I. 8. *καὶ ἐπὶ τὸν — λαβὼν δὲ . . ., φασίν, ἐπέγραψε τῷ τάφῳ τάδε*] *καὶ ἐπὶ τὸν — λαβὼν δέ φησιν ἐπέγραψε τῷ τάφῳ τάδε* I. perinde C, nisi quod *τῇ ὁδῷ τῶν ἐπὶ τὴν δεκέλειαν ὁδὸν κειμένων πρὸ*, mox *αὐτῇ σειρῆναν ἐπέστησαν, οἱ δὲ χ . . . . σῶνα*, tum *τεῖχον* pro *χῶρον*, dein *κατ᾽ ὄναρ ἐπιστὰς*, tandem *θάπτειν τὸν ἄνδρα* et *τῷ τάφῳ αὐτοῦ τάδε*. conferatur annotatio inferior exegetica.

recitata, h. e. de *ἀναγνώσει*, non de fabula ab histrionibus acta cogitavit, id quod ex verbis *cum tragoediam dixisset* intelligitur. de fide narrationis dictum est in Prolegom. p. 59.

